Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Breviarium monasticum

Paul <V., Papst>

Constantiae, 1660

Die xi. Iuly In Festo commemorationis S. P. Benedicti abbatis. [...]

urn:nbn:de:bsz:31-140162

Visual Library

tes iuſſionibus ſuis multos ex Gentilitate colligit; & Iudæam, ex cuius carne eſt genitus, non agnoſcit? Sed cùm is qui voluntatem Patris fecerit, ſoror & frater Domini dicitur, propter vtrumque ſexum qui ad fidẽ colligitur, mirum non eſt: mirandum verò valde eſt, quomodo etiam mater dicatur. Fideles enim diſcipulos fratres vocare dignatus eſt, dicens: Ite, nunciate fratribus meis. ℟. Hæc eſt vera fraternitas. l.

Lectio xj.

QVi ergo frater Domini fieri ad fidem veniendo potuerit, quærendum eſt, quomodo etiam & mater eſſe poſſit. Sed ſciendum nobis eſt, quia qui Chriſti ſoror & frater eſt credendo, mater efficitur prædicando. Quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit: & mater eius prædicando efficitur, ſi per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur. ℟. Corpora ſanctorum. l.

Lectio xij.

AD quam rem nobis idoneè cõfirmandam adeſt beata Felicitas, cuius hodie natalitia celebramus: quæ credendo extitit ancilla Chriſti, & prædicando facta eſt mater Chriſti. Septem quippe filios, ſicut in geſtis eius emendatioribus legitur, ſic poſt ſe timuit viuos in carne relinquere, ſicut carnales parentes ſolent metuere, ne mortuos præmittant. ℟. Iuſtorum animæ. l.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum. Cap. 12. d. 47.

IN illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas, ecce mater eius & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te. At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumq; enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt; ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui glorioſos Martyres, fortes in ſua confeſſione cognouimus; pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per Dñm.

Veſperæ de S. P. Benedicto ſine comm. præced.

---

*Die xi. Iulij.*

# IN FESTO COMMEMORATIONIS S. P. BENEDICTI ABBATIS. DVP.

AD MATVTINVM.

Inuitatorium.

REgem Confeſſorum Dominũ: Venite adoremus. Pſal. Venite, exultemus. 14.

Hymnus.

QVidquid antiqui cecinêre Vates,
Quidquid æternæ monimenta legis
Con-

Continet nobis celebranda ſummi
Vita Monarchæ.

Extulit Moſen pietas benignum,
Inclytum proles Abraham decorat,
Iſaac ſponſæ decus, & ſeueri
Iuſſa parentis.

Ipſe virtutum cumulis onuſtus
Celſior noſtri Patriarcha cœtus,
Iſaac, Moſen, Abraham ſub vno
Pectore clauſit.

Ipſe, quos mundi rapuit procellis
Hîc, pius flatu ſtatuat ſecundo:
Pax vbi nullo, requieſque gliſcit
Miſta pauore.

Gloria Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar vtriuſque ſemper
Spiritus alme, Deus vnus, omni
Tempore ſæcli. Amen.

In primo Noct. Aña. Fuit vir vitę* venerabilis, gratia Benedictus & nomine. Pſalm. Beatus vir. cum reliq. de Communi Conf. Pont. lv.

Aña. Ab ipſo *pueritiæ ſuæ tẽpore cor gerens ſenile; ætatem moribus tranſiens, nulli animum voluptati dedit. Pſal. Quare fremuerunt. lv.

Aña. Liberiori genere * ex prouincia Nurſiæ ortus, Romæ liberalibus litterarum ſtudiis traditus à parentibus fuerat. Pſalm. Cùm inuocarem. lvj. Aña. Dum in hac terra eſſet,* quo temporaliter liberè vti potuiſſet, iam quaſi aridum mundum cum flore deſpexit. Pſal. Verba mea. lvj. Aña. Relicta domo,* rebuſq; patris, ſoli Deo placere cupiens, ſanctæ conuerſationis habitũ quæſiuit. Pſalm. Domine Dñs noſter. lvij. Aña. Receſſit igitur * ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus. Pſalm. In Domino confido. lvij.

℣. Amauit eum Dñs, & ornauit eũ.
℟. Stolam gloriæ induit eum.

Lectiones j. Noct. de libro Eccleſiaſtici, Laudemus viros glorioſos. de Comuni plurimorum Confeſſorum Pontificum. lxvj.

℟. j. Fuit vir vitæ venerabilis gratia Benedictus, & nomine: ab ipſo pueritiæ ſuæ tempore cor gerens ſenile: *Ætatẽ quippe moribus tranſiens, nulli animum voluptati dedit. ℣. Receſſit igitur ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus. Ætatem.

℟. ij. Sanctus Benedictus plus appetiit mala mundi perpeti, quàm laudes: pro Deo laboribus fatigari, * Quàm vitę huius fauoribus extolli. ℣. Diuina namque præuentus gratia, magis ac magis ad ſuperna animo ſuſpirabat. Quàm.

℟. iij. Inito cõſilio fratres venenum vino miſcuêre: quo oblato ex more ad benedicendũ Patri, vir Dei ſignum crucis edidit: & vas peſtiferi potus ita confractum eſt,* Ac ſi pro ſigno lapidem dediſſet. ℣. Intellexit protinus vir Dei, quia potum mortis vas habuerat, quod portare non poterat ſignum vitæ. Ac ſi pro.

℟. iiij. Domine, non aſpicias peccata mea, ſed fidem huius hominis, qui rogat reſuſcitari filium ſuum: & redde in hoc corpuſculum animam, quam tuliſti. Et completa oratione reuixit: * Et ſanum reddidit patri ſuo. ℣. Et regrediente anima corpuſculum omne contremuit, & ſub oculis omnium qui aderant, viuus apparuit. Et ſanum. Gloria Patri. Et ſanum.

In ſecundo Nocturno, Aña. Benedictus * in dies magis augebatur diuina gratia, vt etiam prophetico ſpiritu ventura prædiceret.

Pſal. Domine, quis habitabit. lix.

Aña. Huic, * dum eremum peteret, Romanus monach⁹ obuiauit: cuius cùm deſiderium cognouiſſet, & ſecretum tenuit, & adiutorium impendit. Pſal. D ñe, in virtute tua. lix.

Aña. Tantam gratiam * ei virtus diuina contulerat, vt ſub vno ſolis radio, omnem mundum collectũ conſpiceret. Pſal. D omini eſt terra. lix.

Aña. Pater ſanctus * dum intentam oculorum aciem in ſplendore coruſcę lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani Epiſcopi in ſphæra ignea ab Angelis in cælum deferri. Pſalm. C antate Dño. j. lx.

Aña. Inito conſilio * fratres venenum vino miſcuêre: quo oblato, ſignum crucis edidit: & vas peſtiferi potus ſic confractum eſt, ac ſi pro ſigno lapidem dediſſet.

Pſal. D ominus regnauit exultet. lx.

Aña. Tunc ad locum * dilectæ ſolitudinis rediit: & ſolus in superni inſpectoris oculis habitauit ſecum. Pſalm. C antate. ij. lxj.

℣. Os iuſti meditabitur ſapientiã.

℟. Et lingua eius loquetur iudiciũ.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

*Sermone de S. Benedicto.* Lectio v.

CElebram⁹ hodie Magiſtri noſtri glorioſi Benedicti memoriam: pro eo vobis & de eo ſolẽnis ex more ſermo debetur. Cui⁹ dulciſſimũ nomẽ, cũ omni vobis iucũditate amplectẽdũ eſt & honorandũ; quoniã ipſe dux veſter, ipſe magiſter & legifer veſter eſt. Delector quidẽ & ego in ipſius memoria, licet non meo ſine rubore beati huius Patris nomen audeam memorare. Eſt enim mihi de ipſius imitatione vobiſcum ſæculi abrenuntiatio, & monaſticæ profeſſio diſciplinæ; ſed ſingulariter ſine vobis cũ eo participõ nomen Abbatis. ℟. O laudanda ſancti Benedicti merita glorioſa! qui dum pro Chriſto patriam, mundique ſpreuit pompam, adeptus eſt omnium cõtubernium beatorum: * Et particeps factus præmiorum æternorum. ℣. Inter choros Confeſſorum ſplẽdidum poſſidet locum, vbi ipſum fontem omnium intuetur bonorum. Et particeps.

Lectio vj.

ARbor fuit beatus Benedictus grandis atque fructifera, tamquam lignum quod plantatũ eſt ſecus decurſus aquarum. Vbi ſunt decurſus aquarum? Profectò in vallibus: quia inter medium montium pertranſibunt aquæ. Quis enim non videat etiam torrentes montium ardua declinare, & mediam ad humilitatem ſemper diuertere vallis? Sic profectò, ſic Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam.

℟. Cùm ſanctus Benedictus in cella conſiſteret, eleuatis ſurſum oculis, vidit ſororis ſuæ animam de corpore eius egreſſam, * In columbæ ſpecie cæli ſecreta penetrare. ℣. Qui tantæ eius gloriæ congaudens, omnipotenti Deo gratias retulit, eiuſque obitum fratribus denunciauit. In columbæ.

Lectio vij.

SEcurus hîc fige pedem: ſuper hunc ramum innitere: ſemitam vallis incede: nimirum in monte ſibi ſedem conſtituit ſerpens antiquus, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò: propterea vallem magis elige ad ambulandum, vallem elige ad plantandum. Neque enim vel in ſerendis arboribus montana ſolemus eligere, quòd frequenter arida

arida ſunt & petroſa. ℟. Intempeſtæ noctis hora vir Dei inſtans vigiliis aſſiduæ orationis, velut ſub vno ſolis radio, * Omnem mundum collectum conſpexit. ℣. Videnti enim Creatorem anguſta eſt omnis creatura. Omnem.

Lectio viij.

IN vallibus pinguedo eſt, ibi proficiunt plantæ, ibi plena ſpica, ibi centeſimus oritur fructus, iuxta illud: Et valles abundabunt frumento. Audis, quia vbique vallis laudatur, vbique humilitas prædicatur. Ibi plantare, vbi decurſus aquarum: quia ibi copia gratiæ ſpiritualis; & aquæ quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini; id eſt, cæleſtes benedictiones faciunt, vt laudetur.

℟. Pater ſanctus dum intentam oculorum aciem in ſplendore coruſcæ lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani Epiſcopi, * In ſphæra ignea ab Angelis in cælum deferri. ℣. Factumque eſt, & reuerendiſſimum virum Germanum Epiſcopum, is, qui miſſus fuerat, iam defunctum reperit. In ſphæra. Gloria. In ſphæra.

In iij. Noctur. ad Cantica, Ant. Benedictum * propheticis condecoremus canticis, qui tam fulſit prophetia, quàm & doctrinæ gratia.

Canticum. Beatus vir, qui in ſapientia. infrà de Communi Confeſſ. Pontif. lxij. ℣. Lex Dei eius in corde ipſius. ℟. Et non ſupplantabuntur greſſus eius.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum. *Cap. 19. d. 27.*

Lectio ix.

IN illo tempore: Dixit Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia ſancti Bernardi Abbatis.

*Sermone de verbis Euangelij, Ecce nos reliquimus omnia.*

FIdelis ſermo, & dignum omni acceptione colloquiũ Simonis Petri & Ieſu. Familiaris ſiquidẽ & amica ſaluti obediẽtia eſt, ſed obedientia firma & ſtabilis, quæ fundata eſt ſuper petram. Melior eſt enim obedientia, quàm victimæ, & acquieſcere nolle, vt peccatum ariolandi eſt. Vnde & vitæ quoque ipſe Saluator prætulit hanc virtutem, eligens magis animam ponere, quàm obedientiam nõ implere. Poſtremò & ipſum nomen Ieſu, quod eſt ſuper omne nomen, & in quo flectitur omne genu, Apoſtolo teſte, obedientiæ remuneratio eſt. ℟. Sanctiſſime confeſſor Chriſti Benedicte monachorum pater, & dux, * Intercede pro noſtra omniumque ſalute. ℣. Deuotæ plebi ſubueni ſancta interceſſione, vt tuis adiuta precibus regna cæleſtia conſequatur. Intercede.

Lectio x.

LIbet proinde ſacratiſſimo huic intereſſe colloquio, & intima cordis aure percipere quæ dicuntur. Arbitror enim verba lectionis huius ea eſſe, de quibus ad im̃ortalem Spõſum à finibus terræ clamat Eccleſia: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Hæc nempe ſunt verba, quæ contemptum mundi in vniuerſo mundo, & voluntariam perſuaſêre hominibus paupertatem. Hęc ſunt, quæ Monachis clauſtra replent, deſerta Anachoretis. Hæc, inquam, ſunt verba, quæ Ægyptũ ſpoliant, & optima quæq; eius vaſa diripiunt. Hic ſermo viuus & efficax, cõuertens animas felici æmulatione ſancti-

ſanctitatis, & veritatis promiſſione fideli. ℟. Ipſo anno, quo de hac vita erat exiturus, quibuſdam diſcipulis ſecũ conuerſantibus, quibuſdam longè manentibus, * Sanctiſſimi ſui obitus denunciauit diem. ℣. Præſentibus indicens, vt audita per ſilentium tegerent: abſentibus indicans, quod vel quale eis ſignum fieret, quando eius anima de corpore exiret. Sanctiſſimi. Lectio xj.

DIxit enim Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia. Bene, optimè, & non ad inſipientiam tibi. Nam & mundus tranſit, & concupiſcentia eius: & relinquere hæc magis expedit, quàm relinqui. Ecce, inquit, nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Nimirum quia exultauit vt gigas ad currendam viam, nec currentem ſequi poteras oneratus. Sed nec inutilis commutatio, pro eo qui ſuper omnia eſt, omnia reliquiſſe. Nam & ſimul cum eo donantur omnia: & vbi apprehenderis eum, erit vnus ipſe omnia in omnibus, qui pro ipſo omnia reliquerunt. ℟. Sexto die portari ſe in Oratoriũ à diſcipulis ſuis fecit: ibique exitum ſuum Dominicis Sacramentis muniuit, * Atq; inter diſcipulorum manus expirauit. ℣. Cùmq; per ſingulos dies languor ingraueſceret, erectis in cælum manibus ſtetit. Atque.

Pro S. Pio Papa & mart. niſi venerit in Dominica. Lectio xij.

PIus Aquileienſis, Imperatore Antonino Pio, Pontifex creatus, pœnam ſtatuit in ſacerdotem, cuius negligentia de ſanguine Domini aliquid ſtillauerit. Pœnitentiã enim, inquit, agant quadraginta diebus, ſi in terram aliquid deciderit; ſi ſuper altare, tribus diebus: ſi ſuper linteum ſuperius, quatuor: ſi in inferius defluxerit, nouem diebus: ſi vſq; ad quartum, viginti diebus: vbicumq; ceciderit, ſi recipi poteſt, lambatur: ſin aliter, aut lauetur, aut radatur: quidquid lotũ, aut raſum eſt, comburatur, & cinis in ſacrarium reponatur. Multis præterea vtiliter decretis martyrio coronatur, & ſepelitur in Vaticano quinto Idus Iulij: cùm ſediſſet annos nouem, menſes quinque, dies viginti ſeptem, & Presbyteros decem & octo, Diaconos viginti vnum, Epiſcopos per diuerſa loca duodecim, menſe Decembri quinque Ordinationibus creaſſet.

℟. de Communi vnius martyris. Euang. Ecce nos reliquimus. vt in Communi Abbatum. lxxx.

Oratio.

EXcita Domine in Eccleſia tua ſpiritum, cui beatus Benedictus Abbas ſeruiuit: vt eodem nos repleti, ſtudeamus amare quod amauit, & opere exercere quod docuit. Per Dominum. in vnitate eiuſdem Spiritus.

Ad Laudes, & per Horas, Aña.

FVit vir vitæ* venerabilis, gratia Benedictus & nomine: qui ab ipſo pueritiæ ſuæ tempore cor gerens ſenile, ætatem moribus tranſiens, nulli animum voluptati dedit. Pſal. Dominus regnauit. cum reliq. 26. Aña. Beatus vir * Benedictus plus appetiit mala mundi perpeti quàm laudes; pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauoribus extolli. Aña. Glorioſus Confeſſor* Domini vitam Angelicam gerens in terris, ſpeculum bonorum operum factus eſt mundo: & ideò cum Chriſto iam ſine fine gaudet in cælis. Aña.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg

Añ. Erat vir Domini * Benedictus vultu placido, moribus decoratus Angelicis, tantaque circa eum claritas excreuerat, vt in terris poſitus, in cæleſtibus habitaret. Añ. Vir Dei Benedictus * omnium iuſtorum ſpiritu plenus fuit: ipſe intercedat pro cunctis Monaſticæ profeſſionis.

Capitulum. Eccleſ. 50. a. 6.

Ecce Confeſſor magnus: Qui quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet. Et quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei.

℟. bre. Amauit eum Dominus,* Et ornauit eum. Amauit. ℣. Stolam gloriæ induit eum. Et ornauit. Gloria. Amauit. Hymnus.

Inter æternas Superûm coronas,
Quas ſacro partas retinẽt agone,
Emicas celſis meritis coruſcus,
O Benedicte.

Sancta te compſit puerum ſenectus,
Nil ſibi de te rapuit voluptas,
Aruit mundi tibi flos, ad alta
Mente leuato.

Hinc fuga lapſus, patriam, parentes
Deſeris, feruens eremi colonus,
Edomas carnem, ſubigiſque Chriſto
Tortor acerbus.

Ne diu tutus latebras foueres,
Signa te produnt operum piorum:
Spargitur felix celeri per orbem
Fama volatu.

Gloria Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar vtriuſque ſemper
Spiritus alme, Deus vnus, omni
Tempore ſæcli. Amen.

℣. Iuſtum deduxit Dñs per vias rectas. ℟. Et oſtendit illi regnum Dei.

Ad Benedictus, Añ. Sanctiſſime * confeſſor Domini, monachorum Pater & Dux Benedicte, intercede pro noſtra omniumque ſalute. Oratio. Excita Domine. vt ſupra.

Deinde fit cõmem. S. Pij Papæ & martyr. hoc loco tantũm Antiph. Qui odit. ℣. Iuſtus vt palma. xxix. Orat. Infirmitatem noſtram. xxviij.

Ad Tertiam, Añ. Beatus vir Benedictus. Capit. Ecce Confeſſor magnus. ſuprà in Laud. ℣. Amauit eum Dominus, & ornauit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Sextã, Añ. Glorioſus Cõfeſſor.

Capitulum. Eccl. 50. a. 3.

In diebus ipſius emanauerunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modũ. Qui curauit Gentem ſuam, & liberauit eam à perditione. ℣. Os iuſti meditabitur ſapientiam. ℟. Et lingua eius loquetur iudicium.

Ad Nonã, Añ. Vir Dei Benedict⁹.

Capitulum. Eccl. 50. a. 10.

Quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo. Quaſi oliua pullulans, & cypreſſus in altitudinem ſe extollens. Et circa illũ corona fratrum: quaſi plantatio cedri in monte Libano, ſic circa illum ſteterunt quaſi rami palmæ, & omnes filij Aaron in gloria ſua.

℣. Lex Dei eius in corde ipſius.
℟. Et nõ ſupplantabũtur greſſus ei⁹.

Ad j. Veſperas, Añ. Fuit vir vitæ venerabilis cum reliq. de Laudib Pſalm. Dixit Dominus cum reliquis de Dominica. 102.

Capitulum. Ecce Confeſſor magnus. ℟. bre. Sancte Pater Benedicte,* Intercede pro nobis. Sancte. ℣. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Intercede. Gloria Patri. Sancte.

Hymnus.

LAudib' ciues reſonēt canoris:
Templa ſolemnes modulentur hymnos,
Aurea ſummi Benedictus arce
Gaudet Olympi.

Ille florentes peragebat annos,
Cùm puer dulcis patriæ penates
Liquit, & ſolus latuit ſilenti
Conditus antro.

Inter vrticas, rigidoſque ſentes
Vicit altricem ſcelerum iuuentam:
Inde conſcripſit documenta vitæ
Pulchra beatæ.

Æream turpis Clarij figuram,
Et nemus ſtrauit Veneri dicatum,
Atque Baptiſtæ poſuit ſacrato
Monte ſacellum.

Iamque felici reſidens Olympo,
Inter ardentes Cherubim cateruas
Spectat, & dulci reficit clientum
Corda liquore.

Gloria Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar vtriuſque ſemper
Spiritus alme, Deus vnus, omni
Tempore ſæcli. Amen.

℣. Amauit eū Dn̄s, & ornauit eum.
℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat, Añа. Exultet* omnium turba fidelium pro gloria almi Patris Benedicti, lætentur præcipuè cateruæ Monachorum, celebrantes eius feſta in terris, de cuius ſocietate Sancti congaudent in cęlis.

Oratio. Excita Domine. vt ſuprà ante Laudes. Nulla fit commem.

In ſecundis Veſperis, dicuntur omnia vt ſuprà in j. Veſperis.

℣. Iuſtum deduxit Dn̄s per vias rectas. ℟. Et oſtendit illi regnū Dei.

Ad Magnificat, Antiphona.

O cæleſtis* norma vitæ, Doctor & Dux Benedicte, cuius cum Chriſto ſpiritus exultat in cæleſtibus; gregem Paſtor alme ſerua, ſancta prece corrobora, via cælos clareſcente fac te duce penetrare.

Oratio. Excita Domine. vt ſuprà.

Pro commem. S. Ioannis Gualberti Abbatis. Antiph. Similabo eum. ℣. Amauit eum. lxxvj.

Oratio. Interceſſio nos. vt in communi. lxxv.

Deinde fit commem. SS. Naboris & Felicis martyrum. Antiph. Iſtorum eſt enim. ℣. Lætamini. lij.

Oratio.

PRæſta quæſumus Domine: vt ſicut nos ſanctorum martyrum tuorum Naboris & Felicis natalitia celebranda non deſerunt; ita iugiter ſuffragiis comitētur. Per Dominum.

*Die xij. Iulij.*

## IN FESTO S. IOANNIS Gualberti Abbatis. Duplex.

Oratio. Interceſſio nos. lxxv.

In primo Nocturno de libro Eccleſiaſtici, Beatus vir qui inuentus de Com. Conf. nō Pontif. lxxvj. niſi impediantur Scriptura currente.

In ſecundo Nocturno.

Lectio v.

IOannes Gualbertus Florentiæ nobili genere ortus, dum patri obſequens rem militarē ſequitur, Vgo vnicus eius frater occiditur à conſanguineo: quem cùm ſolum, & inermem ſancto Paraſceues die Ioannes armis, ac militibus ſtipatus obuium haberet, vbi neuter alterum poterat declinare, ob ſanctæ Crucis reuerentiam, quem homicida ſupplex mortem iam-iam ſubiturus brachiis ſignabat, vitam ei clementer indulget. Hoſte in fratrem recepto, proximum ſancti Miniatis tem-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK gefördert durch Baden-Württemberg MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

tis templum oraturus ingreditur, vbi adoratam Crucifixi imaginem, caput ſibi flectere conſpicit. ℟. Honeſtum fecit. lxxij.

Lectio vj.

QVo mirabili facto permotus Ioannes, Deo exinde, etiam inuito patre, militare decernit, atque ibidem propriis ſibi manibus comam totondit, ac monaſticum habitum induit; adeoque piis ac religioſis virtutibus breui coruſcat, vt multis ſe perfectionis ſpecimen, ac normam præberet; ita vt eiuſdem loci Abbate defuncto, communi omnium voto in Superiorem eligeretur. At Dei famulus cupiens ſubeſſe potiùs, quàm præeſſe, ad maiora diuina voluntate ſeruatus, ad Camaldulēſis eremi incolam Romualdum proficiſcitur: à quo cælicum ſui inſtituti vaticinium accipit: tum ſuum Ordinem ſub Regula ſancti Benedicti apud Vmbroſam vallem inſtituit. ℟. Amauit eum. lxxiij.

Lectio vij.

DEin plurimis ad eum ob eius ſanctitatis famam, vndique conuolantibus, vnà cum iis in ſocios adſcitis, ad hæreticam & ſimoniacam prauitatem extirpandam, & Apoſtolicam fidem propagandam ſeduló incumbit, innumera propterea in ſe, & ſuis incommoda expertus. Nam vt eum eiuſque ſocios aduerſarij perdant: noctu ſancti Saluij cœnobium repentè aggrediuntur, templum incendunt, ædes demoliuntur, & monachos omnes lethali vulnere ſauciant, quos vir Dei vnico crucis ſigno incolumes protinus reddit; & Petro eius monacho per immenſum ardentiſſimumque ignem illæſo mirabiliter tranſeunte; optatam ſibi & ſuis tranquillitatem obtinet: inde ſimoniacam labem ab Etruria expulit, ac in tota Italia fidem priſtinæ integritati reſtituit. ℟. Iſte homo. lxxiij.

Lectio viij.

MVlta funditus erexit monaſteria, eademque & alia ædificiis, ac Regulari obſeruantia inſtaurata, ſanctis legibus communiuit. Ad egenos alendos ſacram ſupellectilem vendidit: ad improbos coërcendos elementa ſibi famulari conſpicit: ad dæmones comprimendos, crucem, quaſi enſem adhibuit. Demum abſtinentiis, vigiliis, ieiuniis, orationibus, carnis macerationibus, ac ſenio confectus, dum infirma valetudine grauaretur, Dauidica illa verba perſæpè repetebat: Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Iamque morti proximus conuocatos diſcipulos ad fraternam concordiam cohortatur, & in breuiculo, cui conſepeliri voluit, iuſſit hæc ſcribi: Ego Ioannes credo, & confiteor fidem, quam ſancti Apoſtoli prædicauerunt, & ſancti Patres in quatuor Conciliis confirmauerunt. Tandem triduano Angelorum obſequio dignatus, ſeptuageſimum octauum annum agens, apud Paſſinianum, vbi ſumma veneratione colitur, migrauit ad Dominum, anno ſalutis milleſimo ſeptuageſimo tertio, quarto Idus Iulij. Quem Cæleſtinus tertius innumeris miraculis clarum in Sanctorum numerum retulit.

℟. Deſiderium animæ. lxxiij.

In iij. Noct. Homil. in Euang.

Sint lumbi veſtri. vt in Communi Confeſſoris non Pontif. lxxiij.

In Laudibus fit commemoratio Octauæ S. P. Benedicti. Aña. Sanctiſſime. ℣. Amauit. Orat. Excita. & SS Naboris & Felicis martyrum. Aña. Veſtri capilli. ℣. Exultabunt. Orat. Præſta quæſumus. vt ſuprà.

In ij. Veſp. comm. S. Anacleti, & Oct. S. P. Bened. ℣. Amauit.

*Die xiii. Iulii.*

## IN FESTO S. ANACLETI

Papæ & mart. Semiduplex.

Oratio. Deus nos qui beati. de Communi vnius Martyris. xxviij.

In ſecundo Nocturno.

Lectio v.

ANacletus Athenienſis, Traiano Imperatore rexit Eccleſiam. Decreuit, vt Epiſcopus à tribus Epiſcopis, neque à paucioribus, conſecraretur: & clerici ſacris Ordinibus publicè à proprio Epiſcopo initiarentur: & vt in Miſſa, peracta conſecratione, omnes communicarent. Beati Petri ſepulchrum ornauit: Pontificumque ſepulturæ locum attribuit. Fecit Ordinationes duas menſe Decembri, quibus creauit Presbyteros quinque, Diaconos tres, Epiſcopos ſex. Sedit annos nouem, menſes tres, dies decem. Martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano. ℟. Honeſtum fecit. xxiiij.

Lectio vj. vij. & viij. De expoſitione ſancti Ambroſij, Principes perſecuti ſunt. infrà. xxx.

In tertio Nocturno, Homilia in Euangelium, Si quis venit ad me. de Communi vnius Mart. xxvj.

In Laudib. fit Commem. Octauæ S. P. Benedict.

*Die xiiii. Iulii.*

## IN FESTO SANCTI

Bonauenturæ Epiſcopi & confeſſoris. Duplex.

Ad Magnificat, in vtraſque Veſp. Aña. O Doctor optime. de Communi Confeſſ. Pontif. lxvj.

Oratio. Deus, qui populo tuo. de eodem Communi. lxiiij.

Fit Commem. S. Anacleti. Deinde Octauæ S. P. Benedict. Poſtremò S. Henrici Cōf. ℣. Os iuſti. Oratio.

OMnipotens & miſericors Deus, qui à gloria tua nullam conditionem excludis: te ſuppliciter exoramus; vt, ſicut beato Henrico Confeſſori tuo poſt terreni culmen Imperij, cæleſtis regni ſolium contuliſti, meritis eius & precibus, nobis quoque famulis tuis æternæ felicitatis præmia largiaris. Per Dominum noſtrum.

In j. Noctur. Lectiones, De libro Eccleſiaſt. Sapientiam omnium antiq. vt in Communi Doct. lxix.

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

BOnauentura, Balneo-regij in Etruria natus, cùm infans incidiſſet in vitę periculum, mater eius vouit, ſi inde euaſiſſet, ſe eum religioni beati Franciſci dicaturam. Itaq; adoleſcens in Ordinem Fratrum Minorum adſcribi voluit: vbi Alexandro de Ales magiſtro, ad eam doctrinæ perfectionem breui peruénit, vt ſeptimo pòſt anno libros Sententiarum Pariſiis publicè ſumma cum laude ſit interpretatus: quos etiam præclaris poſteà commentariis illuſtrauit. Poſt ſex annos, ſui Ordinis Generalis Miniſter Romæ factus, ea prudentiæ ac ſanctitatis laude miniſterium geſſit, vt in

vt in omnium ore & admiratione eſſet. ℞. Inueni Dauid. lxj.

Lectio vj.

MVlta ſcripſit, in quibus ſummam eruditionem cum pari pietatis ardore coniungens, lectorem docendo mouet. Quem Gregorius decimus, eius ſanctimoniæ & ſapientiæ fama commotus, Cardinalem & Epiſcopum Albanenſem creauit. Eumdem adhuc viuentem beatus Thomas Aquinas ſanctum appellauit. Cùm enim vitam ſancti Franciſci ſcribentem comperiſſet: Sinamus, inquit, ſanctum pro ſancto laborare. Migrauit è vita pridie Idus Iulij, in Concilio Lugdunenſi, quinquagintra tres annos natus, multis editis miraculis. Quem Xyſtus quartus Pontifex maximus retulit in Sanctorum numerum. ℞. Poſui adiutorium. lxij.

Lectio vij & viij Ex libro Moralium ſancti Greg. Papæ, Qui poſt Orionas. de Comuni Doct. lxix.

℞. vij. Iſte eſt qui ante. lxij.

℞. viij. Iuſtum deduxit. lxij.

In iij. Noct. Hom. S. Ioañis Chryſ. in Euang. Vos eſtis ſal terræ. quæ habetur ſuprà in Feſto eiuſdem S. Ioannis menſe Ianuario. 696.

Pro S. Henrico. Lectio xij.

HEnricus, è duce Bauariæ Rex Germaniæ, ac deinde Romanorum Imperator, cognomento Pius meritò eſt appellatus. Nihil ſine precibus aggredi ſolitus, Angelum Domini, patronoſq; Martyres duces ante faciem viſibiles interdũ habuit, ſanitatemque inſigni miraculo in Caſſinenſi monaſterio impetrauit. Virginitatem, raro exemplo, matrimonio iunxit. Benedictum octauum profugum excepit, mox Sedi ſuæ reſtituit. Romanam Eccleſiam ampliſſimo diplomate muneratus, eidẽ tuendæ bellum aduerſus Græcos in Apulia ſuſcepit. Bambergenſem Epiſcopatum hereditariis opibus fundauit, ac beato Petro, Romanoque Pontifici vectigalem fecit. Denique illuſtribus per Galliam, Italiam, Germaniam religioſæ munificentiæ veſtigiis paſſim relictis, migrauit in cælum, ſanctitate & miraculis, quàm ſceptro atque imperio, clarior.

℞. vt in Communi Confeſſoris non Pontificis.

In Laudib. fit Comm. Oct. S. P. Bened. ℣. Amauit. Deinde S. Henrici. ℣. Os iuſti. Orat vt ſup.

In ij Veſp. Comm. Oct. ℣. Amauit.

*Die xv. Iulii.*

## QVINTA DIE INFRA Octauam S. P. Benedicti.

Ad Matut. Inuitat. & Hymn. vt in die Feſti.

In primo Nocturno, Añã.

Fuit vir vitæ * venerabilis, gratia Benedictus & nomine. Pſal. ferial.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

*Ex Serm. vnico in natali S. Benedicti.*

Lectio j.

ARbores quæ fructũ faciunt, ſed non ſuũ, hypocrytę ſunt, cum Simone Cirenæo crucẽ portantes non ſuam: qui religioſa intentione carentes angariantur, & quę non amant, amore gloriæ, quam deſiderant, facere compelluntur. Nam in eo, quod dicitur: In tempore ſuo; arguuntur quidam, ante tempus fructificare volentes. Nonne enim & arboribus noſtris citiùs, quàm oporteat, pullulantibus, timemus

omnino floribus intempeſtiuis ? Sic ſunt aliqui, quorum fructus, quia nimis properè, minùs proſperè oriuntur. Hi ſunt qui in initio conuerſionis ſuæ alijs fructificare continuò velle præſumunt, contraque legis decreta arare in primogenito bouis, & ouis primogenita tondere feſtinantes.

Lectio ij.

VVltis noſſe, quàm ſolicitè id vitauerit ſanctus iſte magiſter noſter ? Et hunc ramum vobis appono ; quoniam tribus annis ſoli Deo notus, hominibus manſit incognitus. Fructum quidem multum tulit, ipſi cernitis : ſed in tempore ſuo. Neque enim credebat tempus eſſe fructificandi, quando tanta carnis tentatione grauatus eſt, vt pænè cederet, pænè diſcederet. Ego enim nec iſtum quidem ramum præteribo, quoniam etſi hirſutus quodammodò ſpinarum aculeis, quibus ſeipſum diuus Benedictus iniecit, tamen vtilis eſt omnino; vtilis iumento Domini propter foueas tentationum, ne in eas incidat conſentiendo, ſed magis reſiſtat, & viriliter agat, ſuſtineatque Dominum, ne deſperet.

Lectio iij.

HIc ergo fige pedem : & diſce quantumcumque acerba tentatio ſæuiat, non cedere, nec credere propterea derelictum te eſſe à Domino, ſed memineris ſcriptum eſſe : Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. Ergo vt dicere cœperam, non credebat Benedictus tunc eſſe fructificandi tempus, quando adhuc tantis tentationibus vrgebatur. Sed venit tempus, & in tempore ſuo fructum dedit.

In ſecundo Nocturno, Antiphona.

Ab ipſo * pueritiæ ſuæ tempore cor gerens ſenile ; ætatem moribus tranſiens, nulli animum voluptati dedit. Pſal. ferial.

Capitulum. Eccl. 44. d. 21.

NOn eſt inuentus ſimilis illi, qui cõſeruaret legem Excelſi; ideò iureiurando fecit illum Dominus creſcere in plebem ſuam.

℣. Iuſtus germinabit ſicut lilium.

℟. Et florebit in æternũ ante Dñm.

Oratio. Excita. 832.

Ad Laudes & reliquas Horas omnia, vt in die Feſti. Sic dicitur Officium per totam Octauam, exceptis Lectionibus & Antiphonis Nocturnorũ.

*Die xvi. Iulij.*

## SEXTA DIE INFRA OCTAVAM S. Benedicti.

In primo Nocturno, Antiphona.

Liberiori genere * ex prouincia Nurſiæ ortus, Romæ liberalibus litterarum ſtudijs traditus à parentibus fuerat. Pſal. ferial.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

*Serm. in natali S. Benedicti.*

Lectio j.

DE fructu eius ſunt illa tria: Sanctitas eius, iuſtitia eius, pietas eius. Sanctitatem miracula probant, doctrina pietatem, vita iuſtitiam. Vides ramos folijs virentes, floribus onuſtos & fructu? Super iſtos innitere, vt greſſus rectos facias pedibus tuis. Sed quomodo tibi appono eius miracula? Numquid vt miracula facere velis? Nequaquam : Sed vt miraculis eius innitaris : videlicet vt confidas, & gaudeas quòd ſub tali poſitus es paſtore : quòd tantum meruiſti habere patronum.

Lectio

Lectio ij.

O Mninò enim valdè potens eſt in cælis, qui tam magnus & potens extitit in terris, ſecundùm magnitudinem gratiæ magnitudine gloriæ exaltatus. Nam & iuxta radicum quantitatem rami prodire noſcuntur: & quot radicibus arbor innititur, tot ramis, ſicut aiunt, decoratur. Sic ergo licet non habeamus noſtra, conſolatio magna nobis eſſe debent Patroni noſtri miracula. Doctrina verò inſtruit nos, & dirigit greſſus noſtros in viam pacis.

Lectio iij.

P Orrò vitæ iuſtitia omninò roborat & animat nos: vt tantò magis accendamur ad agenda quæ docuit, quantò certi ſumus eum non alia docuiſſe, quàm fecerit. Sermo quidem viuus & efficax exemplum operis eſt, plurimum faciens ſuadibile quod dicitur, dum monſtrat factibile quod ſuadetur. In hunc ergò modum & ſanctitas confortat, pietas informat, iuſtitia confirmat. Quantæ enim pietatis fuit, quòd non ſolùm præſentibus profuit, ſed & pro futuris ſolicitus fuit? Non ſolùm his qui tunc erant, fructum tulit hæc arbor, ſed vtique hodie fructus eius & creſcit & manet.

In ſecundo Nocturno, Antiphona.

Dum in hac terra eſſet, * quo temporaliter liberè vti potuiſſet, iam quaſi aridum mundum cum flore deſpexit. Pſal. ferial.

In Veſperis fit commemoratio S. Alexij confeſſoris.

Oratio.

D eus qui nos beati. de Commun. Confeſſ. non Pont.

*Die xvii. Iulij.*

## SEPTIMA DIE INFRA Octauam S. P. Benedicti.

In primo Nocturno, Antiphona.

Relicta domo, * rebuſque patris, ſoli Deo placere cupiens, ſanctæ conuerſationis habitum quæſiuit. Pſalmi feriales.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

*Serm. ſuper verba: Ecce nos reliquimus omnia. poſt medium.*

Lectio j.

H Abent proficientes editum olim de duodecim gradibus humilitatis libellum, quos videlicet gradus ille iuſtorum omnium ſpiritu plenus, in Regula ſua tradidit, verè per omnia Benedictus: Ille enim ſpiritualem nobis erexit ſcalam, cuius vtique ſummitas cælos tangit, quod in eius glorioſo tranſitu, euidenti legimus miraculo commendatum, beato Papa Gregorio ſic ſcribente: Inter diſcipulorum manus imbecilla membra ſuſtētans, erectis in cœlum manibus ſtetit, & vltimum ſpiritum inter verba orationis efflauit. Qua ſcilicet die duobus fratribus, vni longiùs poſito, alteri autem in cella commoranti, reuelatio vnius atque indiſſimilis viſionis apparuit.

Lectio ij.

V Iderunt namque, quia ſtrata palliis, & innumeris coruſca lampadibus via recta, Orientis tramite ab eius cella in cœlum vſque tendebatur. Cui venerando habitu vir deſuper clarus aſſiſtens, cuius eſſet via, quam cernerent, inquiſiuit. Illi verò ſe neſcire profeſſi ſunt. Quibus ille ait: Hæc eſt via, qua dilectus Domini cœlū Benedictus aſcendit.

Quæ eſt enim via ab eius cella progrediens, niſi Ordo, quem idem vir beatus inſtituit, & forma vitæ, quæ ab eo ſumpſit exordium? Qua nimirum via Domini dilectus aſcendit, quia non potuit vir ſanctus aliter docere, quàm vixit.

Lectio iij.

ET hæc quidem eorum vel maxima fiducia eſt, qui ipſius vtcumque ſtudent inhærere veſtigiis, ipſum præceptorem, præuiumque ſequuntur. Neque enim venire aliquatenus in dubium poteſt, quin omninò ſacer ſit modus conuerſationis, & diuina magis inſpiratione atque conſilio, quàm humana prudentia, vel adinuentione formatus, quo nimirum tantam in vita gratiam ſanctitatis, tantam poſt obitum gloriam felicitatis, idem verè Benedictus obtinuit.

In ſecundo Nocturno, Aña.

Receſſit igitur* ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus. Pſalmi Feriales.

Pro S. Alexio Confeſſ. ſi venerit in Dominica.

Lectio xij.

ALexius Romanorum nobiliſſimus, propter eximium Ieſu Chriſti amorem prima nocte nuptiarum relinquens intactam ſponſam, illuſtrium orbis terræ Eccleſiarum peregrinationem ſuſcepit. Quibus in itineribus cùm ignotus ſeptemdecim annos fuiſſet, aliquando apud Edeſſam, Syriæ vrbem, per imaginem ſanctiſſimæ Mariæ virginis, ei⁹ nomine diuulgato, inde naui diſceſſit. Ad portum Romanum appulſus, à patre ſuo tamquã alienus pauper hoſpitio accipitur: apud quem, omnibus incognitus, cùm decem & ſeptem annos vixiſſet, relicto ſcripto ſui nominis, ſanguinis, ac totius vitæ curſus, migrauit in cælum, Innocentio primo ſummo Pontifice.

In Laudib. pro Comm. S. Alexij, ℣. Amauit.

*Die xviii. Iulii.*

## IN OCT. S. P. BENEDICTI Abbatis. Duplex.

Omnia vt in die Feſti, cum commem. SS. Symphoroſæ, & filiorum eius mart. Oratio.

DEus, qui nos concedis ſanctorum martyrum tuorum Symphoroſæ & filiorum eius natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum ſocietate gaudere. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones vt in die Feſti, niſi legenda ſit ſcriptura Dominicæ.

In ſecundo Nocturno.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Lectio v.

*Serm. in natali S. Bened.*

DIlectus planè Deo & hominibus Benedictus: cuius nõ ſola præſentia in benedictione fuit, ſicut ſunt multi dilecti Deo ſoli, quia ſoli Deo iam cogniti: ſed & memoria eius etiã nunc in benedictione eſt. Nam & vſque hodie in triplicem amoris Dominici confeſſionem triplici hoc fructu paſcit Domini gregem. Paſcit vita, paſcit doctrina, paſcit interceſſione. Per quem inceſſanter adiuti, fructificate & vos chariſſimi: quoniam in hoc poſiti eſtis, vt eatis & fructum afferatis. Vnde eatis? vtique à vobis ipſis, ſicut ſcriptum eſt: A voluptatibus tuis auertere. Nam & de Domino legimus: Quia exijt ſeminare ſemen ſuum.

ſuum. Ecce & hîc habemus ſemen ſuum, ſicut & priùs fructum ſuum. Imitemur & hunc fratres, quoniam ad hoc venit, vt formam nobis traderet, & viam demonſtraret.

℟. O laudanda S. Benedicti. 830.

Lectio vj.

ET vos fratres chariſſimi, exinanite vos, humiliate vos, ſeminate vos, perdite vos. Seminate corpus animale, & reſurget corpus ſpirituale. Perdite animas veſtràs, & in vitam æternam ſeruabitis eas. Bene ſeipſum perdit, qui nihil vmquam pro ſe facit, ſed omnis eius intentio, & omne deſiderium, tendit ad Dei placitum, & vtilitatem fratrum ſuorum. Infelix enim qui ſeminat in carne, quia de carne metet corruptionem. ℟. Cùm ſanctus. 830.

Lectio vij.

ALibi verò ſcriptum eſt: Beati qui ſeminant ſuper omnes aquas. Sed quomodo ſuper omnes aquas? Fortè & ſuper aquas, de quibus legitur: Et aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini: quæ ſunt Virtutes Angelicæ, & cœleſtes populi. Ita planè, quoniam ſpectaculum facti ſumus & Angelis & hominibus. Seminemus igitur hominibus exemplum bonum, per aperta opera; ſeminemus Angelis gaudium magnum, per occulta ſuſpiria; & cetera huiuſmodi, quæ ſolis eis ſunt nota. Gaudium enim eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. ℟. Intempeſtæ noctis. 831. Lectio viij.

HInc dicebat Apoſtolus: Prouidentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Coram Deo dixit; coram eis, qui vultui Dei aſſiſtunt. Ipſis enim maximè placet, cùm vos vident occultè orantes, aut ruminantes Pſalmum aliquem, aut tale aliquid facientes. Sic ſeminate & vos, ſic fructificate chariſſimi. Seminate & vos, quia tam multi ante vos ſeminauerunt, fructificate, quia vobis ſeminauerunt. ℟. Pater ſanctus dum intentam. 831.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum. Cap. 19. d. 27.

Lectio ix.

IN illo tempore: Dixit Petrus ad Ieſum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua.

De Homilia S. Bernardi Abbatis. *Serm. ſuper verba: Ecce nos reliquimus omnia, poſt medium.*

IN regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos: Felix regeneratio. Quando enim renaſcar ad ſeſſionem miſer homo, natus ad laborem? O ſi vmquam ſedero totus, cuius modò ne minima quidem portio ſedet: in quo nihil tranquillum, nihil quietum, ſedatum nihil, nihil vmquam in eodem permanens ſtatu. ℟. Sanctiſſime confeſſor. 831.

Lectio x.

SEdebitis & vos. O ſeſſio! Quis mihi tribuat, vt dignis exprimam verbis, quod de ſeſſione hac cordis affectione concipio? Immò quis tribuat mihi ſeſſionis huius imperturbata frui requie, quam deſidero, quã cupio, quam requiro? Ecce enim dixi: Nihil in me ſedet, ſed cuncta in motu ſunt; omnia nutant, fluctuant vniuerſa. ℟. Ipſo anno. 832.

Lectio xj.

POſtremò vbi concupiſcit adhuc caro aduerſus ſpiritum, ſpiritus aduerſus carnem, quidnam hominis ſedere videtur? Nec ſola iam concupiſcentia pacem impedit, turbat ſeſſionem, vetat eſſe ſedatum: ſed duplex quoque ſecundùm corpus, miſerum hominem contritio vexat: præſentis videlicet ſenſus doloris, & mortis metus futuræ. Nimirum cùm & paſſibile ſit & mortale: duplex nihilominùs animam agitare ſolicitudo videtur: ſpei vtique & timoris. Inter hæc nempe fluctuat iugiter, donec peccati corpus inhabitat, aſcendens vſque ad cœlos, & iterum vſque ad abyſſos deſcendens: tabeſcens in malis, & ad bona nihilominùs inardeſcens.

℟. Sexto die. 837.

Pro S. Symphoroſa & ſeptem filijs martyribus. niſi venerit in Dominica.

Lectio xij.

SYmphoroſa Tiburtina, Getulij martyris vxor, ex eo ſeptem filios peperit, Creſcentium, Iulianum, Nemeſium, Primitiuum, Iuſtinum, Stacteum, Eugenium: qui omnes propter Chriſtianæ fidei profeſſionem vnà cum matre, Arriano Imperatore comprehenſi ſunt. Quorum pietas multis variiſque tentata ſupplicijs, cùm ſtabilis permaneret; mater, quæ filijs fidei magiſtra fuerat, dux eiſdem ad martyrium extitit. Nam ſaxo ad collum alligato, in profluentem deiicitur: cuius corpus conquiſitum à fratre eius Eugenio ſepelitur. Poſtridie eius diei, qui fuit decimo quinto Kalendas Auguſti, ſeptem fratres ſinguli ad palum alligati, variè ſunt interfecti. Creſcentio guttur ferro tranſfigitur: Iuliano pectus confoditur: Nemeſio cor transuerberatur: Primitiuo traijcitur vmbilicus: Iuſtinus membratim ſecatur: Stacteus telis configitur: Eugenius à pectore in duas partes diuiditur. Ita octo hoſtiæ Deo gratiſſimæ ſunt immolatę. Corpora in altiſſimam foueam proiecta ſunt via Tiburtina, nono ab Vrbe lapide: quæ poſteà Romam translata, condita ſunt in Eccleſia ſancti Angeli in piſcina. ℟. Hæc eſt vera fraternitas.

In Laudibus fit commemoratio ſanctæ Symphoroſæ & ſeptem filiorum eius martyrum. Oratio. Deus, qui nos. vt ſuprà.

*Die xxi. Iulij.*

## SANCTÆ MARGARITÆ virginis & martyris.

Oratio. Indulgentiam. de Communi Virginum. xc.

Lectio iij. Ser. S. Ambr. Quoniã hodie. de Comun. Virg. lxxxvij.

*Die xxi. Iulii.*

## S. PRAXEDIS VIRGINIS.

Orat. Exaudi nos Deus. de Communi Virginum. xc.

Lectio iij.

PRaxedes, virgo Romana, Pudentianæ virginis ſoror, Marco Antonino Imperatore Chriſtianos perſequente, eos facultatibus, opera, conſolatione, & omni charitatis officio proſequebatur. Nam alios domi occultabat: alios ad fidei conſtantiam hortabatur: aliorum corpora ſepeliebat: iis qui in carcere incluſi erant, qui in ergaſtulis exercebantur, nulla re deerat. Quæ cùm tantam Chriſtianorum ſtragem iam ferre non poſſet; Deum precata eſt,



BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

ſt, ſi mori expediret, ſe è tantis malis eriperet. Itaque duodecimo Kalendas Auguſti ad pietatis præmia vocatur in cælum. Cuius corpus à Paſtore Presbytero in patris & ſororis Pudentianæ ſepulchrum illatum eſt, quod erat in cœmeterio Priſcillæ, via Salaria.

*Die xxii. Iulij.*

## IN FESTO SANCTÆ Mariæ Magdalenæ. Duplex.

### AD MATVTINVM.

Inuitatorium.

Laudemus Deum noſtrum, In conuerſione Mariæ Magdalenæ.

Pſalm. Venite, exultemus. 14.

Hymnus.

NArdo Maria piſtico
Vnxit beatos Domini
Pedes, rigando lacrymis,
Et detergendo crinibus.
Honor, decus, imperium,
Sit Trinitati vnicæ,
Patri, Nato, Paraclito,
Per infinita ſæcula. Amen.

Añæ, Pſalmi, & ℣. j. & ij. Noct. dicuntur de Communi Virg. lxxx. & loco ſecundæ Añæ j. Nocturni, Ante torum, dicitur Aña. Læua eius. vt in Communi non Virg. xciiij.

In primo Nocturno.

De Canticis canticorum.

Lectio j. Cap. 3. a. 1.

IN lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & & plateas quæram quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidiſtis? Paululùm cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea: tenui eũ; nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meę, & in cubiculum genitricis meæ. ℟. Maria Magdalene, & altera Maria ibant diluculo ad monumentum: * Ieſus, quem quæritis, non eſt hîc: ſurrexit, ſicut locutus eſt: præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. ℣. Et valdè manè vna ſabbatorum veniunt ad monumentũ orto iam ſole: & introeuntes viderunt iuuenem ſedentem in dextris, qui dixit illis. Ieſus, quē.

Lectio ij. Cap. 8. a. 1.

QVis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat? Apprehēdam te, & ducam in domum matris meæ; ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.

℟. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum: quia quem quęrebam, apparuit mihi: * Et dum flerem ad monumentum, vidi Dominum meum, alleluia. ℣. Recedentibus diſcipulis non recedebam, & amoris eius igne ſuccenſa ardebā deſiderio. Et dum.

Lectio iij.

LÆua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipſa velit. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua. ℟. Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Dicunt ei Angeli: Mulier quid ploras? ſurrexit,

rexit, ſicut dixit: * Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis. ℣. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis ſedentes, qui dicunt ei. Præcedet.

Lectio iiij.

POne me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. ℟. Cùm tranſiſſet Sabbatum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, * Vt venientes vngerent Ieſum. ℣. Et valde manè vna Sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam ſole. Vt venientes. Gloria. Vt venientes.

In ſecundo Nocturno.

Sermo ſancti Gregorij Papæ.

*Homil. 25. in Euang.* Lectio v.

MAria Magdalene, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem, lauit lacrymis maculas criminis: & vox Veritatis impletur, qua dicitur: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multùm. Quæ enim priùs frigida peccando remanſerat, poſtmodum amando fortiter ardebat. Quæ à monumento Domini, etiam diſcipulis recedentibus, non recedebat: exquirebat, quem non inuenerat: flebat inquirendo, & amoris ſui igne ſuccenſa, eius quem ablatum credidit, ardebat deſiderio. Vnde contigit, vt eum ſola tunc videret, quæ remanſerat vt quæreret: quia nimirum virtus boni operis, perſeuerantia eſt. ℟. Propter veritatem. cum reliq. vt in ij. Nocturno de Communi non Virginum. xcv. Lectio vj.

QVæſiuit ergo priùs, & minimè inuenit: perſeuerauit vt quæreret, vnde & contigit vt inueniret: actumque eſt, vt deſideria dilata creſcerent, & creſcentia caperent quod inueniſſent. Hinc eſt enim, quod de eodem ſponſo Eccleſia in Canticis canticorum dicit: In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea. Dilectum namque in lectulo quærimus, quando in præſentis vitæ aliquantula requie Redemptoris noſtri deſiderio ſuſpiramus. Per noctem quærimus: quia etſi iam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat. ℟. Dilexiſti iuſtitiam. xcv.

Lectio vij.

SEd qui dilectum ſuum non inuénit, reſtat vt ſurgat, ciuitatem circumeat, id eſt, ſanctam electorum Eccleſiam mente & inquiſitione percurrat: per vicos eum & plateas quærat; id eſt, per anguſta & lata gradientes aſpiciat, vt ſi qua inuenire in eis valeat eius veſtigia exquirat: quia ſunt nonnulli etiam vitæ ſæcularis, qui imitandum aliquid habeant de actione virtutis. ℟. Fallax gratia xcv.

Lectio viij.

QVærentes autem nos vigiles inueniunt, qui cuſtodiunt ciuitatem: quia ſancti Patres, qui Eccleſiæ ſtatum cuſtodiunt, bonis noſtris ſtudiis occurrunt, vt ſuo vel verbo, vel ſcripto nos doceant. Quos cùm paululùm pertranſimus, inuenimus quem diligimus: quia Redemptor noſter etſi humilitate homo inter homines, diuinitate tamen ſuper homines fuit. ℟. Quàm pulchra es. xcvj.

In tertio Noct. ad Cantica, Aña.
Inuenta * bona margarita, dedit omnia ſua, & comparauit eam.
Cantic. O baudite me. lxxxviij.
℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo ſuo.
Lectio S. Euangelij ſecundùm Lucam. Lectio ix. *Cap. 7. f. 36.*

IN illo tempore: Rogabat Ieſum quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.
*Lib. 50. Homil. 23. tom. 10.*

EVangelium cum legeretur, attentiſſimè audiſtis: & res geſta narrata atque verſata eſt ante oculos cordis veſtri. Vidiſtis enim non carne, ſed mente, Dominum Ieſum Chriſtum in domo Phariſæi recumbentem, & ab illo inuitatum non faſtidientem. Vidiſtis etiam in ciuitate mulierem famoſam, mala vtique fama, quæ erat peccatrix, nõ inuitatam irruiſſe conuiuio, vbi ſuus medicus recumbebat, & quæſiſſe pia impudentia ſanitatem: irruens, quaſi importuna conuiuio, opportuna beneficio. ℟. Os ſuum aperuit. xcvj.

Lectio x.

NOuerat enim quanto morbo laboraret: & illum ad ſaluandum eſſe idoneum, ad quem venerat, ſciebat. Acceſſit ergo non ad caput Dñi, ſed ad pedes. Et quæ diu malè ambulauerat, veſtigia recta quærebat. Priùs fudit lacrymas cordis, & lauit Domini pedes obſequio confeſſionis, capillis ſuis terſit: oſculata eſt, vnxit: tacita loquebatur, non ſermonem promebat, ſed deuotionem oſtendebat. ℟. Regnum mundi. xcvj.

Lectio xj.

QVia ergo tetigit Dominum rigando, oſculando, tergendo, vngendo pedes eius: Phariſæus, qui inuitauerat Dominum Ieſum Chriſtum, quia ex illo genere erat hominum ſuperborum, de quibus Iſaias Propheta dicit: Qui dicunt, Recede longè à me: noli me tangere, quoniam mundus ſum: putauit Dñm neſciſſe mulierem. ℟. Accinxit fortitudine. xcvij.

Lectio xij.

O Phariſæe inuitator & irriſor Domini: Dñm paſcis, & à quo paſcendus ſis, non intelligis? Vnde ſcis Dominũ neſciſſe quæ fuerit illa mulier, niſi quia permiſſa eſt accedere, niſi quia illo patiente, oſculata eſt pedes eius, niſi quia terſit, niſi quia vnxit? Hæc enim non debuit permitti facere in pedibus mundis mulier im̃unda? Ad illius ergo Phariſæi pedes ſi talis mulier acceſſiſſet, dicturus erat, quod Iſaias de talibus dicit: Recede à me, noli me tangere: quoniam mundus ſum. Acceſſit autem ad Dominum immunda, vt rediret munda: acceſſit ægra, vt rediret ſana: acceſſit confeſſa, vt rediret profeſſa. ℟. Beata es. xcvij.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Lucam. *Cap. 7. f. 36.*

IN illo tempore: Rogabat Ieſum quidam de Phariſæis, vt manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti: & ſtans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

gebat. Videns autem Phariſæus qui vocauerat eum, ait intra ſe, dicens: Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſt mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix eſt. Et reſpondens Ieſus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magiſter, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtriſque. Quis ergo eum plùs diligit? Reſpondens Simon, dixit: Æſtimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicaſti. Et conuerſus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti: hęc autem vnguẽto vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit. Dixit autem ad illam: Remittũtur tibi peccata tua. Et cœperunt, qui ſimul accũbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te ſaluam fecit: vade in pace.

Oratio.

BEatæ Mariæ Magdalenæ, quæſumus Domine, ſuffragiis adiuuemur: cuius precibus exoratus, quatriduanum fratrem Lazarum viuum ab inferis reſuſcitaſti. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate.

Ad Laudes, & per Horas, Aña. Dum eſſet Rex. cum reliq. de Communi nec Virg. nec Martyr. xcviij. Capitulum. Mulierem fortem. ℟. breue. Specie tua. xcviij.

Hymnus.

ÆTerni patris Vnice,
Nos pio vultu reſpice;
Qui Magdalenam hodie
Vocas ad thronum gloriæ.

In theſauro repoſita
Regis eſt drachma perdita;
Gemmaque luce inclyta
De luto luci reddita.

Ieſu dulce refugium,
Spes vna pœnitentium,
Per peccatricis meritum,
Peccati ſolue debitum.

Pia mater & humilis,
Naturæ memor fragilis,
In huius vitæ fluctibus
Nos rege tuis precibus.

Vni Deo ſit gloria
Pro multiformi gratia,
Qui culpas & ſupplicia
Remittit, & dat præmia. Amen.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Ad Benedictus, Antiphona.

Maria * vnxit pedes Ieſu, & exterſit capillis ſuis, & domus impleta eſt ex odore vnguenti. Oratio. Beatæ Mariæ Magdalenæ, ſuprà.

Ad Tertiam, Aña. In odorem. Capitul. Mulierem fortem. xcviij. ℣. Specie tua.

Ad Sextã, Aña. Iam hiems tranſiit. Capitulum. Manum ſuam. xcviij. ℣. Adiuuabit eam.

Ad Nonã, Aña. Iſta eſt ſpecioſa. Capitulum. Multæ filiæ. xcix. ℣. Elegit eam Deus.

Ad ij. Veſp. Aña. Dum eſſet Rex. cum reliq. de Laudib. in Communi nec

nec Virgin. nec Martyrum. xcviij.
Pſal. Dixit Dominus. 102. Laudate pueri 103. Lætatus ſum 100. Niſi Dominus ædificauerit. 101.
Capitulum. Mulierem fortem. ℞. breu. Adiuuabit eam. de Communi non Virginum. xcix.

Hymnus.

PAter ſuperni luminis,
Cùm Magdalenam reſpicis,
Flammas amoris excitas,
Geluque ſoluis pectoris.
Amore currit ſaucia
Pedes beatos vngere,
Lauare fletu, tergere
Comis, & ore lambere.
Adſtare non timet Cruci,
Sepulchro inhæret anxia;
Truces nec horret milites;
Pellit timorem charitas.
O vera, Chriſte, Charitas,
Tu noſtra purga crimina,
Tu corda reple gratia,
Tu redde cæli præmia.
Deo Patri ſit gloria,
Eiuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc, & in perpetuum. Amen.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.
℞. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Mulier, * quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Ieſus accubuit in domo Simonis leproſi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retrò ſecus pedes Ieſu, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.
Oratio. Beatæ Mariæ Magdalenæ.
Ad ij. Veſp. omnia vt ſup. in j. Veſp.
℣. Elegit eam. vt ſupra in Laudib.

Ad Magnificat, Antiphona.

Mulier, * quæ erat in ciuitate peccatrix, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retrò ſecus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat.
Oratio. Beatæ Mariæ Magd. ſup. Deinde fit commem. S. Apollinaris.

*Die xxiii. Iulii.*

## IN FESTO S. APOLLINARIS Epiſcopi & martyris. Semiduplex.

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

APollinaris cum Principe Apoſtolorum Antiochia Romam venit: à quo ordinatus Epiſcopus, Rauennam ad Chriſti Domini Euangelium prædicandum mittitur: vbi cùm ad Chriſti fidem plurimos conuerteret, captus ab idolorum ſacerdotibus grauiter cæſus eſt. Cùmque ipſo orante Bonifacius nobilis vir, qui diu mutus fuerat, loqueretur, eiuſque filia immundo ſpiritu liberata eſſet; iterum eſt in illum commota ſeditio. ℞. Honeſtum fecit illum. xxiiij.

Lectio vj.

ITaque virgis cæſus, ardentes carbones nudis pedibus premere cogitur: quem cùm ſubiectus ignis nihil læderet, eiicitur extra vrbem. Is verò latens aliquamdiu cum quibuſdam Chriſtianis, inde profectus eſt in Æmiliam, vbi Rufini patricij filiam mortuam ad vitam reuocauit: vt propterea tota Rufini familia in Ieſum Chriſtum crederet. ℞. Deſiderium animæ. xxv.

Lectio vij.

QVare vehementer incenſus Præfectus accerſit Apollinarem, & cum eo grauiùs agit, vt finem faciat diſſeminandi in vrbe Chriſti fidem. Cuius cùm Apollinaris iuſſa negli-

negligeret, equuleo cruciatur: in cuius plagas aqua feruens infunditur, ſaxoque os tunditur: mox ferreis vinculis conſtrictus includitur in carcere. Quarto die impoſitus in nauem, mittitur in exilium: ac facto naufragio venit in Myſiam, inde ad ripam Danubij, poſteà in Thraciam. ℟. Stola iucunditatis xxv.

Lectio viij.

CVm autem in Serapidis templo dæmon ſe reſponſa daturum negaret, dum ibidem Petri Apoſtoli diſcipulus moraretur; diu conquiſitus inuentus eſt Apollinaris: qui iterum iubetur nauigare. Ita reuerſus Rauennam, ab iiſdem illis idolorum ſacerdotibus accuſatus, Centurioni cuſtodiendus traditur: qui cùm occultè Chriſtum coleret, noctu Apollinarem dimiſit. Re cognita, ſatellites eum perſequuntur, & plagis in itinere confectum, quòd mortuum crederent, relinquunt. Quem cùm inde Chriſtiani ſuſtuliſſent, ſeptimo die, exhortans illos ad fidei conſtantiam, martyrij gloria clarus migrauit è vita. Cuius corpus prope murum vrbis ſepultum eſt. ℟. Poſuiſti Domine. xxv.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij ſecundùm Lucam. Lectio ix. *Cap. 22. c. 14.*

IN illo tempore: Facta eſt contentio inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

*Lib. 10. in Luc. c. 22. poſt. init.*

REgnum Dei non eſt de hoc mundo. Non ergo æqualitatis homini ad Deum, ſed ſimilitudinis æmulatio eſt. Solus enim Chriſtus eſt plena imago Dei, propter expreſſam in ſe paternæ claritudinis vnitatem. Iuſtus autem homo ad imaginem Dei eſt, ſi propter imitandam diuinæ conuerſationis ſimilitudinem mundum hunc Dei cognitione contemnat; voluptatesque terrenas verbi perceptione deſpiciat, quo alimur in vitam: vnde & corpus Chriſti edimus, vt vitæ æternæ poſſimus eſſe participes. ℟. Corona aurea. xxvj.

Lectio x.

NOn enim victus & potus nobis præmij loco ſpondetur & honoris, ſed communicatio gratiæ cæleſtis & vitæ. Neque duodecim throni tamquam aliqua corporalis ſunt receptacula ſeſſionis: ſed quia ſicut ſecundùm diuinam ſimilitudinem iudicat Chriſtus cognitione cordium, non interrogatione factorum, virtutem remunerans, impietatemque condemnans: ita & Apoſtoli in iudicium ſpiritale formantur remuneratione fidei, & execratione perfidiæ, virtute errorem redarguentes, ſacrilegos odio perſequentes. ℟. Hic eſt verè martyr. xxvij.

Lectio xj.

COnuertamur igitur, & caueamus, ne in perditionem aliqua inter nos de prælatione poſſit eſſe contentio. Si enim contendebant Apoſtoli, non excuſationi obtenditur, ſed cautioni proponitur. Si Petrus aliquando conuertitur, qui ad primam Domini ſecutus eſt vocem: quis poteſt dicere, citò ſe eſſe conuerſum? Caue ergo iactantiam, caue ſæculum. Ille enim confirmare iubetur fratres ſuos, qui dixit: Omnia dimiſimus, & ſecuti ſumus te. ℟. Gloria & honore. xxvij.

Lectio xij.

DEinde contuendum eſt, quia non omnis honorificentiæ ſtudium humilitatis definitur: poteſt enim deferre aliquis propter ſæculi gratiam, potentiæ metum, vtilitatiſque contuitum. Tua ædificatio quæritur, nō alterius honor: & ideò vna datur omnibus forma ſententiæ, vt non de prælatione iactantia ſit, ſed de humilitate contentio, eo quòd ſe Dominus proponit imitandum.

℟. Beatus vir. xxvij.

Sequentia S. Euangelij ſecundùm Lucam. *Cap. 22. c. 24.*

IN illo tempore: Facta eſt contentio inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior. Dixit autem eis Ieſus: Reges Gentiū dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nā quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Noñe qui recumbit? Ego autē in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat. Vos autē eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper mēſam meā in regno meo; & ſedeatis ſuper thronos iudicātes duodecim tribus Iſraël. Oratio.

DEus, fidelium remunerator animarum, qui hunc diem beati Apollinaris ſacerdotis tui martyrio conſecraſti: tribue nobis quæſumus famulis tuis, vt, cuius venerandam celebramus feſtiuitatem, precibus eius indulgentiam conſequamur. Per Dominum.

In ſecundis Veſperis, fit commemor. S. Chriſtianæ virg. & martyr. Oratio. Indulgentiam. de Communi Virginum. xc.

*Die xxiiii. Iulii.*

## IN VIGILIA S. IACOBI Apoſtoli.

Tres Lectiones de Homilia in Euangelium, Hoc eſt præceptum meum. vt in Vigil. Apoſtol. j.

Reſponſoria de Dñica præced. Oratio. Da quæſumus. j.

Ad Laudes vt in Pſalterio, cum commemoratione S. Chriſtinæ. Aña. Simile eſt regnum cælorum. ℣. Diffuſa eſt gratia. xcj. Oratio. Indulgentiam nobis. de Communi Virginum. xc.

*Die xxv. Iulij.*

## IN FESTO S. IACOBI Apoſtoli. Duplex.

Omnia de Communi Apoſtolorum, præter ea quæ ſequuntur. Oratio.

ESto Domine plebi tuæ ſanctificator & cuſtos: vt Apoſtoli tui Iacobi munita præſidiis, & conuerſatione tibi placeat, & ſecura mente deſeruiat. Per Dominum.

In j. Noct. Lectiones de Epiſt. j. ad Corinthios, Sic nos exiſtimet. de Communi Apoſtolorum. v.

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

IAcobus, Zebedæi filius, Ioannis Apoſtoli germanus frater, Galilæus, inter primos Apoſtolos vocatus cum fratre, relictis patre ac retibus, ſecutus eſt Dñm, & ambo ab ipſo Ieſu Boanerges, id eſt, tonitrui filij, ſunt appellati. Is vnus fuit ex tribus Apoſtolis, quos Saluator maximè dilexit, & teſtes eſſe voluit ſuæ transfigurationis, & intereſſe miraculo, cùm archyſinagogi filiā à mortuis excitauit, & adeſſe cùm ſeceſſit

ceſſit in montem Oliueti, Patrem oraturus, antequã à Iudæis comprehenderetur. ℟. Vidi coniunctos. ix.

Lectio vj.

Poſt Ieſu Chriſti aſcenſum in cœlum, in Iudæa & Samaria eius diuinitatem prædicans, plurimos ad Chriſtianam fidem perduxit. Mox in Hiſpaniam profectus, ibi aliquos ad Chriſtum conuertit; ex quorum numero ſeptem poſteà Epiſcopi à beato Petro ordinati, in Hiſpaniam primi directi ſunt. ℟. Beati eſtis. ix.

Lectio vij.

Deinde Ieroſolymam reuerſus, cùm inter alios Hermogenem magum fidei veritate imbuiſſet, Herodes Agrippa Claudio Imperatore ad regnum elatus, vt à Iudæis gratiam iniret, Iacobum liberè Ieſum Chriſtum Deum confitentem capitis condemnauit. Quem cùm is qui eum duxerat ad tribunal, fortiter martyrium ſubeuntẽ vidiſſet; ſtatim ſe & ipſe Chriſtianum eſſe profeſſus eſt. ℟. Iſti ſunt triumphatores. ix.

Lectio viij.

Ad ſupplicium cùm raperentur, petiit ille à Iacobo veniam: quem Iacobus oſculatus Pax, inquit, tibi ſit. Itaque vterque eſt ſecuri percuſſus, cùm paulò antè Iacobus paralyticum ſanaſſet. Corpus eius poſteà Compoſtellam tranſlatum eſt, vbi ſumma celebritate colitur, conuenientibus eò religionis & voti cauſa ex toto terrarum orbe peregrinis. Memoria ipſius natalis hodierno die, qui tranſlationis dies eſt, ab Eccleſia celebratur, cùm ipſe circa feſtũ Paſchæ primus Apoſtolorũ Ieroſolymis profuſo ſãguine teſtimonium Ieſu Chriſto dederit. ℟. Conſtitues eos. ix.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij ſecundùm Matthæum. Lectio ix. *Cap. 20. c. 20.*

In illo tempore: Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

*Homilia 66. in Matth.*

Non turbetur quiſquam, ſi adeò imperfectos dicimus Apoſtolos fuiſſe: nondum enim myſterium crucis erat conſummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipſorum infuſa. Quòd ſi virtutem ipſorum diſcere cupis, quales poſt datam gratiam Spiritus fuerint, conſidera, & videbis omnem ab illis peruerſam affectionem fuiſſe ſuperatam. Hac enim de cauſa eorum modò imperfectio reuelatur, vt apertè percipere poſſis, quales ſubitò per gratiam effecti fuerunt. ℟. Iſti ſunt, qui viuentes. x.

Lectio x.

Quòd igitur nihil ſpiritale petebant, nec de cæleſti regno quidquã cogitabant, perſpicuum eſt. Sed tamen inſpiciamus etiam quomodo accedant, & quid dicant. Volumus, inquiunt, vt quodcumq; petierimus, facias nobis. Ad quod Chriſtus, Quid vultis? reſpondit: nõ ignorans certè, ſed vt eos reſpondere cogat, & vlcus detegat, & ita medicamentum apponat. Illi verò cùm erubeſcerent, & verecundia prohiberentur, quoniam humano affectu eò deuenerant, ſeorſum ab aliis diſcipulis Chriſtum accipientes, interogauerunt. Progreſſi ſunt enim, inquit, ne illis manifeſti fierent: & ita demum ea quæ volebant, dixerunt. ℟. Iſti ſunt viri ſancti. x.

Lectio

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK gefördert durch Baden-Württemberg

Lectio xj.

VOlebant autem, vt ego coniicio, quoniam ſuper duodecim ſedes ſeſſuros diſcipulos audierunt, primatum huius conſeſſus impetrare: & præponi quidem ſe ceteris ſciebant; Petrum verò ſibi præferri formidantes, dicere auſi ſunt: Dic vt vnus à dextris, alter à ſiniſtris ſedeat. Et vrgent dicentes: Dic. Quid igitur ipſe? Vt ſignificaret eos nihil petere ſpiritale, ſed nec ſcire quidem quid poſtulent: non enim petere auderent, ſi ſcirent: Neſcitis, ait, quid petatis: neſcitis quàm magnum hoc ſit, quàm mirabile, ac ipſas ſuperiores excedens virtutes. ℟. Qui ſunt iſti. x.

Lectio xij.

ET adiecit: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum: & baptiſſimo, quo ego baptizor, baptizari? Perpendis, quomodo ſtatim ab hac opinione ipſos remouit, contraria eis diſſerens. Nam vos, inquit, de honoribus & de coronis mecum agitis: ego verò de luctamine atque ſudore diſſero. Non præmiorum hoc tempus eſt, nec illa gloria mea modò apparebit: ſed cædis ac periculorum tempus præſens eſt. Perſpice autem, qualiter ipſo interrogationis modo & hortatur & allicit. Non enim dixit: Poteſtiſne cædem ſubire, poteſtiſne veſtrum effundere ſanguinem? Sed, Quonam pacto poteſtis bibere calicem? Deinde alliciens, inquit, Quem ego bibiturus ſum; vt ipſa cum eo communicatione laborum promptiores redderentur. ℟. Non ſunt loquelæ. xj.

Euangelium vt ſuprà in feſto S. Ioannis ante portam Latinam, menſe Maio. 767.

Oratio. Eſto Domine. vt ſuprà.

In Laudib. tantùm fit commem. S. Chriſtophori martyr. Aña. Qui odit. ℣. Iuſtus vt palma. xxix. Oratio. Præſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui. de Communi venius Martyris. xxviij.

In ij. Veſp. fit commem. S Annæ, Aña. Simile eſt. ℣. Specie tua. vt in Communi nec Virginum, nec Martyr. xcix. Oratio vt infrà.

*Die xxvi. Iulii.*

## IN FESTO S. ANNÆ matris B. Mariæ virg Duplex.

Omnia de Communi nec Virgin. nec Martyr. xciiij. præter ea quæ ſequuntur.

Oratio.

DEus, qui beatæ Annæ gratiam conferre dignatus es, vt Genitricis vnigeniti Filij tui mater effici mereretur: concede propitius; vt cuius ſolemnia celebramus, eius apud te patrociniis adiuuemur. Per eumdem Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Parabolis Salomonis. Mulierem fortem. xciiij.

In ſecundo Nocturno.

Sermo ſancti Ioannis Damaſceni. *Oratione 2. de Natiuitate beatæ Mariæ prope finem.*

Lectio v.

PRoponitur nobis Annæ thalamus, coniugalis vitæ ſimul & virginitatis formam referens, illam matris, hanc filiæ: quarum altera recens ſterilitate liberata eſt, altera autem aliquantò poſt, Chriſti partum ad noſtræ naturæ conditionem diuino opificio formatum, ſupra naturã eſt editura. Meritò igitur Anna diuino ſpiritu plena, læto hilariq; animo perſonat: Con-

gaudete mecum, quæ promiſſionis germen ex ſterili ventre peperi, ac benedictionis fructũ vberibus meis, vt optaueram, nutrio. Sterilitatis mœſtitiam exui, ac lætam fecunditatis veſtem indui. ℟. Propter veritatem. xcv.

### Lectio vj.

Congaudeat mecum hodie Anna illa, Phenennæ aduerſaria: & nouum hoc atque inopinatum miraculum, quod in me geſtum eſt, ſuo exemplo concelebret. Exultet Sara ſenili gaudio geſtiens, meumque ab ſterilitate conceptum præfigurans. Concinant ſimul ſteriles & infecundæ viſitationem meam admirabili modo cælitus factam. Dicant item matres omnes hac fecũditate præditæ: Benedictus qui orãtibus id quod optabant, largitus eſt, & fecunditatem ſterili dedit, ac feliciſſimũ illud germen Virginis conceſſit, quæ mater Dei ſecundùm carnem fuit, cuius venter cęlum eſt, in qua habitauit is, qui nullo loco capi poteſt. ℟. Dilexiſti iuſtitiam. xcv.

### Lectio vij.

Conſonam his nos quoque ipſi, quæ vocabatur ſterilis, nunc autem virginei thalami mater extitit, laudem offeramus. Dicamus ad eam cum Scriptura: Quàm beata domus Dauid, ex qua prodiiſti, & venter in quo Deus ſanctificationis arcam, hoc eſt eam, à qua ipſe ſine ſemine conceptus eſt, fabricauit. Verè beata es, ac ter beata, quæ beatitudine donatam à Deo infantem, hoc eſt, Mariam, nomine quoque ipſo magnoperè venerandam peperiſti: ex qua Chriſtus vitæ flos extitit, cuius Virginis & glorioſus fuit ortus, & partus mundo ſublimior. ℟. Fallax gratia. xcv.

### Lectio viij.

Nos quoque, ô beatiſſima fœmina, tibi gratulamur. Etenim noſtrûm omnium ſpem diuinitus conceſſam, hoc eſt, promiſſionis fœtũ peperiſti. Beata reuera es, & beatus fructus ventris tui. Piorum autem lingua germen tuum magnificat, ac ſermo omnis lætus partum tuum prædicat. Dignum ſanè quidem, ac maximè dignũ eſt eam laudare, quæ diuina benignitate oraculũ accepit, ac talem & tãtum nobis fructum edidit, ex quo dulcis Ieſus prodiit. ℟. Quàm pulchra es. xcvj.

In iij. Noct. Hom. in Euãg. Simile eſt regnum cælorum theſauro. de Comũni nec Virg. nec Mart. xcvj.

In ij. Veſp. comm. S. Pantaleonis.

*Die xxvii. Iulii.*

## S. PANTALEONIS MART.

Oratio. Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt intercedente. de Communi vnius Mart. xxviij. Lectio iij.

Pantaleon Nicomedienſis, nobilis medicus, ab Hermolao Presbytero in Ieſu Chriſti fide eruditus, baptizatus eſt: qui mox patri Euſtorgio perſuaſit, vt Chriſtianus fieret. Quare cùm Nicomediæ poſteà Chriſti Domini fidem liberè prædicaret, & ad eius doctrinam omnes cohortaretur; Diocletiano Imperatore equuleo tortus, & admotis ad eius corpus laminis candentibus, cruciatus eſt: quam tormentorum vim æquo & forti animo ferens, ad extremum gladio percuſſus, martyrij coronam adeptus eſt.

*Die xxviii. Iulii.*

## IN FESTO SS. NAZARII, Celſi, & Victoris mart. ac Innocentij Papæ & conf. Semid.

Oratio.

Oratio.

SAnctorum tuorum nos Domine, Nazarij, Celſi, Victoris, & Innocentij confeſſio beata communiat: & fragilitati noſtræ ſubſidium dignanter exoret. Per Dominum.

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

NAzarius, à beato Lino Papa baptizatus, cùm in Galliam profectus eſſet, ibi Celſum puerum, à ſe Chriſtianis præceptis priùs inſtructum, baptizauit: qui vnà Treuerim euntes, Neronis perſecutione in mare vterque deiicitur, vnde mirabiliter euaſerunt. Poſteà Mediolanum venientes, cùm ibi Chriſti fidem diſſeminarent, ab Anolino præfecto, conſtantiſſimè Chriſtum Deum confitentes, capite plectuntur: quorum corpora extra portam Romanam ſepulta ſunt. Quæ cùm diu latuiſſent, Dei monitu à beato Ambroſio conſperſa recenti ſanguine ſunt inuenta, tamquam ſi paulò antè martyrium paſſi eſſent: vnde in vrbem translata, honorifico ſepulchro contecta ſunt. ℟. Sancti tui. xlviij.

Lectio vj.

VIctor in Africa natus, Seuero Imperatore rexit Eccleſiam. Confirmauit decretum Pij primi, vt ſacrum Paſcha die Dominico celebraretur: qui ritus vt poſteà in mores induceretur, habita ſunt multis in locis Concilia: & in Nicæna denique prima Synodo ſancitum eſt, vt Paſchæ dies feſtus poſt quartam decimã lunam ageretur, ne Chriſtiani Iudęos imitari viderentur. Statuit, vt quauis aqua, modò naturali, ſi neceſſitas cogeret, quicumque baptizari poſſet. Theodotum Coriarium Bizantinum docentem Chriſtum tantummodò hominem fuiſſe, eiecit ex Eccleſia. Scripſit de quæſtione Paſchæ, & alia quædam opuſcula. Creauit duabus Ordinationibus menſe Decembri Presbyteros quatuor, Diaconos ſeptem, Epiſcopos per diuerſa loca duodecim. Martyrio coronatus, ſepelitur in Vaticano, quinto Kalendas Auguſti. Sedit annos nouem, menſem vnum, dies viginti octo. ℟. Verbera carnificum. xlviij.

Lectio vij.

INnocentius Albanenſis, ſancti Hieronymi & Auguſtini ætate floruit: de quo ille ad Demetriadem virginem: Sancti Innocentij, qui Apoſtolicæ cathedræ, & beatæ memorię Anaſtaſij ſucceſſor & filius eſt, teneas fidem, nec peregrinam, quamuis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias. Eum tamquam iuſtum Lot ſubtractum Dei prouidentia ad Rauennam ſeruatum fuiſſe, ſcribit Oroſius ne Romani populi videret excidium. ℟. Tamquam aurum. xlviij.

Lectio viij.

IS, Pelagio & Cæleſtio damnatis, contra eorum hæreſim decretum fecit, vt paruuli ex Chriſtiana etiam muliere nati, per baptiſmum renaſci deberent; vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Probauit etiam, vt Sabbato ob memoriam Chriſti Domini ſepulturæ, ieiunium ſeruaretur. Sedit annos quindecim, menſem vnum, dies decem. Quatuor Ordinationibus menſe Decembri creauit Presbyteros triginta, Diaconos quindecim, Epiſcopos per diuerſa loca quinquaginta quatuor. Sepultus eſt in cœmete-

meterio ad Vrſum pileatum. ℟. Certamen magnum. xlviij.

In iij. Noct. Homilia in Euang. Cùm audieritis prælia. de Communi plurimorum Martyrum. xlix.

In ſecundis Veſperis à Capitulo fit de ſancta Martha.

*Die xxix. Iulii.*

## IN FESTO SANCTÆ Marthæ virginis. Semidupl.

Oratio. Exaudi nos Deus. vt in Commun. Virginum. xc.

Poſteà fit commem. SS. Nazari, Celſi, &c. Aña. Gaudent in cælis. ℣. Exultabunt. de Communi. lij. Oratio Sanctorum tuorum. ſup.

Et commem. SS. Felicis, Simplicij, Fauſtini & Beatricis martyrū. Aña. Iſtorum eſt enim. ℣. Lætamini. lj.

Oratio.

PRæſta quæſumus Domine, vt ſicut populus Chriſtianus martyrum tuorum Felicis, Simplicij, Fauſtini, & Beatricis temporali ſolemnitate congaudet; ita perfruatur æterna: & quod votis celebrat, comprehendat effectu. Per Dominum.

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

MArtha nobilibus & copioſis parentibus nata, ſed Chriſti Domini hoſpitio clarior, poſt eius aſcenſum in cælum, cum fratre, ſorore, & Marcella pediſequa, ac Maximino, vno ex ſeptuaginta duobus diſcipulis Chriſti Domini, qui totam illam domum baptizauerat, multiſque aliis Chriſtianis, comprehenſa à Iudæis, in nauem ſine velo ac remigio imponitur, vaſtiſſimoque mari ad certum naufragium committitur. ℟. Propter veritatem. lxxxvij.

Lectio vi.

SEd nauis, Deo gubernante, ſaluis omnibus Maſſiliam appulſa eſt. Eo miraculo, & horum prædicatione, primùm Maſſilienſes, mox Aquenſes, ac finitimę gentes in Chriſtum crediderunt: Lazaruſque Maſſilienſium, & Maximinus Aquenſium Epiſcopus creatur. ℟. Dilexiſti iuſtitiam. lxxxvij.

Lectio vij.

MAgdalena verò aſſueta orationi & pedibus Domini, vt optima parte contemplandę cæleſtis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vaſtam altiſſimi montis ſpeluncā ſe contulit: vbi triginta annos vixit, ab omni hominum conſuetudine diſiuncta, quotidieque per id tempus ad audiendas cæleſtium laudes in altum ab Angelis elata. ℟. Afferentur. lxxxviij.

Lectio viij.

MArtha autem, mirabili vitæ ſanctitate & charitate, omniū Maſſilienſium animis in ſui amorem, & admirationem adductis, in locum à viris remotum cum aliquot honeſtiſſimis feminis ſe recepit: vbi ſumma cum laude pietatis & prudentiæ diu vixit; ac demum, morte ſua multò antè prædicta, miraculis clara migrauit ad Dñm, quarto Kalendas Auguſti. Cuius corpus apud Taraſcum magnam habet venerationem. ℟. Prudentes virgines. lxxxviij.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Lucam. Lectio ix. Cap. 10. g. 38.

IN illo tempore: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Et reliqua.

Homilia

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.
*Serm.26.de verbis Domini.*

VErba Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ modò ex Euangelio recitata ſunt, admonent nos, eſſe vnum aliquid quò tẽdamus, quando in huius ſæculi multitudine laboramus. Tendimus autem adhuc peregrinantes, nondum manentes: adhuc in via, nondum in patria: adhuc deſiderando, nondum fruendo. Tamen tendamus, & ſine pigritia, & ſine intermiſſione tendamus, vt aliquando peruenire valeamus. Martha & Maria duæ ſorores erant, ambæ non ſolùm carne, ſed etiam religione germanæ: ambæ Domino cohæſerunt, ambæ Domino in carne præſenti concorditer ſeruierunt.
℟. Hæc eſt virgo. lxxxix.

Lectio x.

SVſcepit eum Martha, ſicut ſolent ſuſcipi peregrini: ſed tamen ſuſcepit famula Dominum, ægra Saluatorem, creatura Creatorem. Suſcepit autem ſpiritu paſcenda, in carne paſcendum. Voluit enim Dominus formam ſerui accipere, & accepta forma ſerui in illa paſci à ſeruis, dignatione, non conditione. Nam & iſta dignatio fuit, ſe præbere paſcendum. ℟. Media nocte. lxxxix.

Lectio xj.

HAbebat carnem, in qua eſuriret quidem & ſitiret: ſed neſcitis, quia in eremo eſurienti Angeli miniſtrabant? Ergo quòd paſci voluit, paſcenti præſtitit. Quid autem mirum, ſi & de ſancto Elia præſtitit viduæ, quem priùs, coruo miniſtrante, paſcebat? Numquid paſcendo defecerat, quando ad viduam mittebat? Nequaquam, ſed religioſam viduam per obſequium exhibitum ſeruo ſuo, benedicere diſponebat. ℟. Induit me. lxxxix. Lectio xij.

SIc ergo ſuſceptus eſt Dominus tamquam hoſpes, qui in ſua propria venit, & ſui eum nõ receperunt: ſed quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: adoptans ſeruos, & liberos faciens: redimens captiuos, & faciens cohæredes. Ne quis tamen veſtrûm forſitan dicat: O beati, qui Chriſtum ſuſcipere in domum propriam meruerunt! Noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus es, quando iam Dominum non vides in carne. Non tibi abſtulit iſtam dignationem. Cùm vni, inquit, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Hæc de Domino paſcendo in carne, ſed paſcente in ſpiritu, pauca pro tempore dixerimus.
℟. Simile eſt regnum cælorum. xc.
Euangeliũ, vt infrà in Feſto Aſſumptionis B. Mariæ, die xv. Auguſti. Oratio. Exaudi nos Deus, vt in Communi Virginum. xc.
In Laudibus fit commemor. SS. martyr. Felicis, Simplicij, &c.
Et in ij. Veſp. SS. Abdon & Sennẽ.

*Die xxx. Iulij.*

## SS. ABDON ET SENNEN martyrum.

Oratio.

DEus, qui ſanctis tuis Abdon & Sennen ad hanc gloriam veniendi copioſum munus gratiæ contuliſti: da famulis tuis ſuorum veniam peccatorum; vt Sanctorum tuorum intercedentibus meritis, ab omnibus mereamur aduerſitatibus liberari. Per Dominum.

Lectio iij.

ABdon & Sennen Perſæ, Decio Imperatore accuſati, quòd corpo-

corpora Chriſtianorum, quæ inhumata proiiciebantur, in ſuo prædio ſepeliſſent, iuſſu Imperatoris comprehenduntur, & diis iubentur ſacrificare. Quod cùm facere negligerent, & Ieſum Chriſtum Deum conſtantiſſimè prædicarent: traditos in arctam cuſtodiam, Romam poſteà rediens Decius vinctos duxit in triumpho. Qui cùm in Vrbe ad ſimulacra attracti eſſent, ea deteſtati conſpuerunt. Quamobrem vrſis ac leonibus obiecti ſunt: quos feræ non audebant attingere. Demum gladiis trucidati, colligatis pedibus tracti ſunt ante Solis ſimulacrum: quorum corpora clàm inde aſportata, Quirinus Diaconus ſepeliuit in ſuis ædibꝰ.

*Die xxxi. Iulii.*

## IN FESTO S. IGNATII Confeſſoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontif. lxxi. præter ea, quæ hic ſequuntur.

### Oratio.

DEus, qui ad maiorẽ tui Nominis gloriam propagandam, nouo per beatum Ignatium ſubſidio, militantem Eccleſiam roboraſti: concede; vt eius auxilio & imitatione certantes in terris, coronari cum ipſo mereamur in cælis. Qui viuis & regnas.

In primo Nocturno, Lectiones, Iuſtus ſi morte. de Communi Conf. non Pontif. niſi legenda ſit Scriptura Dominicæ.

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

IGnatius natione Hiſpanus, nobili genere, Loyolæ in Cantabria natus, primo Catholici Regis aulã, deinde militiam ſecutus eſt. In propugnatione Pampelonenſi accepto vulnere grauiter decumbens, ex fortuita piorum librorum lectione, ad Chriſti Sanctorumque ſectanda veſtigia mirabiliter exarſit. Ad Montem Serratum profectus, ante aram beatæ Virginis ſuſpenſis armis noctem excubans, ſacræ militiæ tyrocinium poſuit. ℟. Honeſtum fecit. lxxij.

Lectio vj.

INde, vt erat indutus ſacco, traditis anteà mendico pretioſis veſtibus, Manreſam ſeceſſit: vbi emendicato pane & aqua victitans, exceptiſque diebus Dominicis ieiunans, aſpera catena cilicioque carnem domans, humi cubans, & ferreis ſe flagellis cruentans, per annum commoratus eſt: claris adeò illuſtrationibus à Deo recreatus, vt poſteà dicere ſolitus ſit: Si ſacræ Litteræ nõ extarent, ſe tamen pro fide mori paratum ex iis ſolum, quæ ſibi Manreſæ patefecerat Dominus. Quo tempore, homo litterarum planè rudis, admirabilem illum compoſuit Exercitiorum librum, Sedis Apoſtolicæ iudicio, & omnium vtilitate comprobatum. ℟. Amauit eum. lxxiij.

Lectio vij.

VT verò ſe ad animarum lucra ritè formaret, ſubſidium litterarum, à Grammatica inter pueros exorſus, adhibere ſtatuit. Cùmque nihil interim omitteret de ſtudio alienæ ſalutis, mirum eſt, quas vbique locorum ærumnas ac ludibria deuorauerit, aſperrima quæque, & vincula, & verbera pænè ad mortem vſque perpeſſus, quibus tamen longè plura pro Domini ſui gloria ſemper expetebat. Luteriæ Pariſiorum adiunctis ſibi ex illa Academia variarum nationum ſociis nouem, qui omnes

Artium Magiſteriis, & Theologiæ gradibus inſignes erant, ibidem in Monte Martyrum prima Ordinis fundamenta iecit: quem poſteà Romæ inſtituens, ad tria conſueta, quarto addito de Miſſionibus voto, Sedi Apoſtolicæ arctiùs adſtrinxit: & Paulus tertius primò recepit, cõfirmauitque: mox alij Pontifices, ac Tridentina Synodus probauêre. Ipſe autem miſſo ad prædicandum Indis Euangelium ſancto Franciſco Xauerio, aliiſque in alias mundi plagas ad Religionem propagandam diſſeminatis, ethnicæ ſuperſtitioni, hæreſiq; bellum indixit, eo ſucceſſu continuatum, vt conſtans fuerit omnium ſenſus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum ſicut alios aliis temporibus ſanctos viros, ita Luthero, eiuſdemq; temporis hæreticis, Ignatium, & inſtitutam ab eo Societatem, obieciſſe. ℟. Iſte homo. lxxiij.

Lectio viij.

SEd inprimis inter Catholicos inſtaurare pietatem curæ fuit. Templorum nitor, Catechiſmi traditio, Concionum ac Sacramentorum frequentia ab ipſo incrementum accepêre. Ipſe apertis vbique locorum ad iuuentutem erudiendam in litteris ac pietate gymnaſiis: erectis Romæ Germanorum collegio: malè nuptarum & periclitantium puellarum cœnobiis, vtriuſque ſexus tam Orphanorum quàm Catechumenorũ domibus, aliiſque pietatis operibus, indefeſſus lucrandis Deo animis inſtabat, auditus aliquando dicere: Si optio daretur, malle ſe beatitudinis incertum viuere, & interim Deo inſeruire, & proximorum ſaluti, quàm certum eiuſdem gloriæ ſtatim mori. In dæmones mirum exercuit imperium. Vultum eius cæleſti luce radiantem ſanctus Philippus Nerius, aliique conſpexêre. Denique ætatis anno ſexageſimo quinto ad Domini ſui amplexum, cuius maiorem gloriã in ore ſemper habuerat, ſemper in omnibus quæſierat, emigrauit. Quẽ Gregorius decimus quintus, magnis in Eccleſiam meritis & miraculis illuſtrem, Sanctorum faſtis adſcripſit. ℟. Deſiderium animæ. lxxiij.

In tertio Nocturno, Homilia in Euangelium, Sint lumbi veſtri. de Cõmuni Confeſſ. non Pontif. lxxiij. Veſperæ de ſequenti, duplex.

---

## FESTA AVGVSTI.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum.

*Die i. Auguſti.*

## IN FESTO S. PETRI ad Vincula. Duplex.

## AD MATVTINVM.

Inuitatorium.

Regem Apoſtolorum Dominum, Venite adoremus. Pſalm. Venite, exultemus. 14. Hymnus.

QVodcumque vinclis ſuper terram ſtrinxeris,
Erit in aſtris religatum fortiter:
Et quod reſoluis in terris arbitrio,
Erit ſolutum ſuper cæli radium:
In fine mundi iudex eris ſæculi.
Gloria Patri per immenſa ſæcula,
Sit tibi Nate decus, & imperium,
Honor, poteſtas, ſanctoq; Spiritui:
Sit Trinitati ſalus indiuidua,
Per infinita ſæculorũ ſæcula. Amen.

Añæ, Pſalmi, Cantica, & ℣. Noct. dicuntur de Communi Apoſtol. ij.

In primo Nocturno.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio

Lectio j. Cap. 12. a. 1.

MIſit Herodes rex manus, vt affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit vt apprehenderet & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt Paſcha producere eum populo.

℟. Simon Petre. vt ſuprà in Feſto Apoſtol. Petri & Pauli. 805.

Lectio ij.

ET Petrus quidem ſeruabatur in carcere. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Cùm autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini aſtitit: & lumen refulſit in habitaculo: percuſſoque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. ℟. Si diligis me. 805.

Lectio iij.

DIxit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quia verũ eſt quod fiebat per Angelum: exiſtimabat autem ſe viſum videre. ℟. Tu es Petrus. 806.

Lectio iiij.

TRanſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portã ferream, quæ ducit ad ciuitatem: quæ vltrò aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum vnum: & continuò diſceſſit Angelus ab eo. Et Petrus ad ſe reuerſus, dixit: Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. ℟. Petre amas me. 806.

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

THeodoſio iuniore imperante, cùm Eudocia eius vxor, Ieroſolymam ſoluendi voti cauſa veniſſet, ibi multis eſt affecta muneribus: præ ceteris inſigne donum accepit ferreæ catenæ, auro gemmiſque ornatæ: quam illam eſſe affirmabant, qua Petrus Apoſtolus ab Herode vinctus fuerat. ℟. Domine, ſi tu es. 806. Lectio vj.

EVudocia catenam piè venerata, eam poſteà Romam ad filiam Eudoxiam miſit, quæ illam Pontifici maximo detulit: iſque viciſſim illi monſtrauit alteram catenam, qua, Nerone Imperatore, idem Apoſtolus cõſtrictus fuerat. Cùm igitur Pontifex Romanam catenam cum ea quæ Ieroſolymis allata fuerat, contuliſſet; factum eſt vt illæ inter ſe ſic connecterentur, vt non duæ, ſed vna catena ab eodem artifice cõfecta eſſe videretur. ℟. Surge Petre. 806.

Lectio vij.

QVo miraculo tantus honor ſacris illis vinculis haberi cœpit, vt propterea hoc nomine ſancti Petri ad Vincula Eccleſia, titulo Eudoxiæ, dedicata ſit in Exquiliis, eiuſque memoriæ dies feſtus inſtitutus Kalendis Auguſti. Quo ex tempore honos, qui eo die profanis Gentilium celebritatibus tribui ſolitus

tus erat, Petri vinculis haberi cœpit: quæ tacta ægros ſanabant, & dæmones eiiciebant. ℟. Tu es paſtor. 807.

Lectio viij.

QVo in genere anno ſalutis humanæ nongenteſimo ſexageſimo nono accidit, vt quidam Comes, Othonis Imperatoris familiaris, occupatus ab immundo ſpiritu ſeipſum dentibus dilaniaret. Quare is iuſſu Imperatoris ad Ioannem Pontificem ducitur: qui, vt ſacra catena Comitis collum attigit, erumpens nefarius ſpiritus hominem liberum reliquit: ac deinceps in Vrbe ſanctorum vinculorum religio propagata eſt. ℟. Solue iubente Deo. 807.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Euangelij ſecundùm Matthæum. Lectio ix. Cap. 16 b. 13.

IN illo tempore: Venit Ieſus in partes Cæſareæ Philippi: & interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi. *Ex Serm. 29. de Sanctis in med.*

SOlus Petrus inter Apoſtolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Dignus certè, qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum. De hoc ait ſermo diuinus: Et ponebant, inquit, infirmos ſuos, vt vmbra ſaltem tranſeuntis Petri obumbraret eos. Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc ſupplicantibus proderat aura quædam pertranſeuntis, quantò magis gratia nunc permanentis? ℟. Ego pro te. 807.

Lectio x.

MEritò per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio viſitantis, quantò magis catena vincientis? Si inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis habere potuit in ſe vim ſalutis; quantò plus de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis ferreo pondere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis? ℟. Quem dicunt. 808.

Lectio xj.

SI ad præſidia ſupplicantium tam potens fuit ante martyrium, quantò magis efficax poſt triumphũ? Felices illi nexus, qui de manicis & compedibus in coronam mutandi, Apoſtolum contingentes martyrem reddiderunt. Felicia vincula, quæ reum ſuum vſque ad Chriſti crucem non tam condemnatura, quàm conſecratura miſerunt. ℟. Qui regni claues. 808.

Pro ſanctis Machabæis mart.

Sermo S. Gregorij Nazianzeni. *Orat. 20. in Machab.* Lectio xij.

QVidnam Machabæi? Horum enim nomine dies feſtus præſenti frequentia celebratur. Qui etſi apud multos non ſunt in honore, quòd illud certamen poſt Chriſtum non ſuſceperunt: tamen digni ſunt qui ab omnibus honorentur, quia pro patriis legibus & inſtitutis fortes conſtanteſque ſe præbuerunt. Nam qui martyrium ſubiêre ante Chriſti paſſionem, quid facturi erant, ſi poſt Chriſtum

ſtum perſecutionem paſſi fuiſſent, eiuſque mortem noſtræ ſalutis cauſa ſuſceptam, ad imitandum propoſitam habuiſſent? Quorum enim nullo propoſito exemplo talis tantaq; virtus fuit, an non ij exemplum illud intuentes, fortiùs in certamen deſcendiſſent? Quin etiam myſtica quædam & occulta ratio mihi quidē atque omnibus Dei amatoribus valde probabilis eſt, neminem eorum qui ante Chriſti aduentum martyrio conſummati ſunt, id ſine fide in Chriſtum conſequi potuiſſe. ℞. Hæc eſt vera fraternitas. vt in Cōmuni plurim. Martyrum. 1.

Euangelium, vt ſuprà in feſto SS. Petri & Pauli, menſe Iunio. 808.

Oratio.

Deus, qui beatum Petrum Apoſtolum à vinculis abſolutum, illæſum abire feciſti: noſtrorum quæſumus abſolue vincula peccatorum; & omnia mala à nobis propitiatus exclude. Per Dominum noſtrum.

Ad Laudes, & per Horas, Aña.

Herodes rex * appoſuit vt apprehenderet & Petrum: quem cùm apprehendiſſet, miſit in carcerē, volens poſt Paſcha producere eum populo. Pſalm. Dominus regnauit. cum reliq. 26. Aña. Petrus quidem* ſeruabatur in carcere, oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Aña. Dixit Angelus * ad Petrum: Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. Aña. Miſit Dominus * Angelum ſuum, & liberauit me de manu Herodis, alleluia. Aña. Tu es Petrus,* & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Capitulum. Act. 12. a. b.

Miſit Herodes rex manus, vt affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit vt apprehenderet & Petrum. ℞. bre. In omnem terram, * Exiuit ſonus eorum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eorum. Exiuit. Gloria. In omnem. Hymnus. (accipe

Iam bone paſtor Petre, clemens
Vota precantū: & peccati vincula
Reſolue, tibi poteſtate tradita,
Qua cūctis cęlū verbo claudis, aperis.
Sit Trinitati ſempiterna gloria,
Honor, poteſtas, atque iubilatio
In vnitate, cui manet imperium,
Ex tunc, & modò per æterna ſæcula. Amen.

℣. Tu es Petrus. ℞. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quodcumque * ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis: dicit Dominus Simoni Petro. Oratio. Deus, qui beatum Petrum. ſuprà.

Et fit commem. S. Pauli, vt infrà in j. Veſp. Et SS. Machabæorum. Aña. Veſtri capilli. ℣. Exultabūt. de Communi plurimor. Martyr. lij. Oratio. Fraterna nos Domine. inf.

Ad Tertiam, Aña. Petrus quidē. Capitulum. Miſit Herodes. ſup. ℣. In omnem terram exiuit ſonus eorum. ℞. Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Sextam, Aña. Dixit Angelus. Capitulum. Act. 12. a. 1.

Petrus quidem ſeruabatur in carcere. Oratio autem fiebat ſine

inter-

intermiſſione ab Eccleſia ab Deum pro eo. ℣. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. ℟. Memores erunt nominis tui Domine.

Ad Nonam, Aña. Tu es Petrus.

Capitulum. *Act.* 12. c. 11.

ET Petrus ad ſe reuerſus, dixit: Nunc ſcio verè, quia miſit Dñs Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. ℣. Nimis honorati ſunt amici tui Deus. ℟. Nimis cõfortatus eſt principatus eorũ.

Ad ij. Veſperas, Aña. Herodes rex. cum reliq. de Laudib. Pſalm. Dixit Dominus. cum reliq. de Dñica. 102.

Capitul. Miſit Herodes rex manus. ℟. bre. Conſtitues eos principes, * Super omnem terram. Conſtitues. ℣. Memores erũt nominis tui Domine. Super. Gloria. Conſtitues.

Hymnus.

PEtrus beatus catenarũ laqueos
Chriſto iubente rupit mirabiliter,
Cuſtos ouilis, & doctor Eccleſiæ,
Paſtorque gregis, conſeruator ouiũ,
Arcet luporum truculẽtam rabiem.
Gloria Patri per immenſa ſæcula,
Sit tibi Nate decus & imperium,
Honor, poteſtas, ſanctoque Spiritui:
Sit Trinitati ſalus indiuidua,
Per infinita ſeculorũ ſæcula. Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Ad Magnificat, Antiphona.

Tu es paſtor ouium, * princeps Apoſtolorum, tibi traditæ ſunt claues regni cælorum.

Oratio. Deus, qui beatum Petrum.

Deinde fit commemor. S. Pauli. Aña. Sancte Paule Apoſtole, prædicator veritatis, & doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit. ℣. Tu es vas electionis ſancte Paule Apoſtole. ℟. Prædicator veritatis in vniuerſo mũdo. Oratio.

DEus, qui multitudinem Gentium beati Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti: da nobis quæſumus; vt cuius commemorationem colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus. Deinde S. Ignatij Confeſſ. Poſteà SS. Machabæorum mart. Aña. Iſtorũ eſt enim. ℣. Lætamini. de Cõm. plur. Mart. xli. Oratio.

FRaterna nos Domine martyrũ tuorum corona lætificet: quæ & fidei noſtræ præbeat incrementa virtutum; & multiplici nos ſuffragio conſoletur. Per Dominum.

Ad ij Veſperas, Aña. Herodes rex. cum reliq. de Laudib. Pſalmi vt in ij. Veſp. de Commun. Apoſt. xij. Capitulum, ℟. breue, Hymnus, & Verſus, vt in primis Veſperis.

Ad Magnif. Aña. Solue * iubente Deo terrarum Petre catenas, Qui facis vt pateant cæleſtia regna beatis.

Oratio. Deus qui beatum.

Deinde fit comm. S. Pauli, vt ſupr. Et poſteà S. Stephani Papæ.

*Die ii. Auguſti.*

## S. STEPHANI PAPÆ & martyris.

Orat. Deus, qui nos beati. de Communi vnius Mart. xxviij. Lectio ij.

STephanus Romanus Pontificatum geſſit Valeriano & Gallieno Imperatoribus. Inſtituit vt Sacerdotes & Diaconi nuſquam ſacris veſtibus, niſi in Eccleſia vterentur. Baptizatos ab hæreticis, iterum baptizari vetuit, reſcribens ſancto Cypriano verbis illis: Nihil innouetur, niſi quod traditum eſt. Multos etiam ad

Chriſtum conuertit: in iis Olympium tribunum cum vxore Exuperia, & filio Theodulo, item Nemeſium tribunum cum tota familia, oculis Lucillæ eius filiæ reſtitutis: qui omnes Ieſu Chriſti martyres fuerunt. Sed vehementiùs iam ingraueſcente perſecutione Imperatorum, Stephanus, conuocato clero, ad martyrium ſuos hortabatur, in cryptiſque Martyrum aſſiduè Miſſas & Concilia celebrabat. Lectio iij.

QVi cùm aliquando raptus eſſet ab infidelibus ad templum Martis, vt ei ſacrificaret, liberè negauit, ſe dæmonibus eum honorem velle tribuere, qui vni Deo deberetur. Quibus in verbis Martis ſtatua terræmotu concidit, templumque contremuit. Quare omnibus aufugientibus, qui Stephanum tenebant, Pontifex ad ſuos reuertitur in cœmeterium Lucinæ: quos diuinis præceptis inſtruens, Sacramẽto corporis Chriſti communicauit: ibique dum Miſſarum ſolemnia perficit, aduenientibus iterum Imperatorum ſatellitibus, ei in ſua ſede caput abſcinditur. Corpus cum eâdem ſede conſperſa Martyris ſanguine, à clericis ſepultum eſt in cœmeterio Calliſti, quarto Nonas Auguſti. Vixit in Pontificatu annos tres, menſes tres, dies viginti duos. Habuit Ordinationes duas menſe Decembri, quibus creauit Preſbyteros ſex, Diaconos quinque, Epiſcopos tres.

*Die iij. Auguſti.*

## IN FESTO INVENTIONIS S. Stephani Protomart. Semid.

Ad Matut. Inuit. Hymnus, Añæ, Pſalmi, & Verſus j. & ij. Nocturni de Communi vnius Mart. xviij.

### In primo Nocturno.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. Cap. 7. f. 51.

DVra ceruice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſem, per Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu Iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis: qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis. Audientes autem hæc, diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. ℟. Stephanus, autem. 183

Lectio ij.

CVm autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem a dextris Dei. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. ℟. Videbãt omnes. 183.

Lectio iij.

ET eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant: & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. Saulus autem erat conſentiens neci eius. ℟. Intuens in cælum. 183.

Lectio iiij. Cap. 8. a. 1.

FActa eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ

erat Ieroſolymis: & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apoſtolos. Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnũ ſuper eum.
℟. Cùm eſſet plenus. 184.

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

SAnctorum corpora, Stephani protomartyris, Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis, quæ diu in obſcuro ac ſordido loco iacuerant, Honorio Imperatore, Luciano presbytero diuinitus admonito, inuenta ſunt prope Ieroſolymam. Cui Gamaliel cùm in ſomnis apparuiſſet, graui quadam & præclara ſenis ſpecie, locum iacentium corporum commonſtrauit, imperans, vt Ioannem Ieroſolymitanum Antiſtitem adiret, ageretque cum eo, vt honeſtiùs illa corpora ſepelirentur.
℟. Lapidabant Stephanum. 184.

Lectio vj.

QVibus auditis Ieroſolymorum Antiſtes, finitimarum vrbium Epiſcopis, Presbyteriſque conuocatis, ad locum pergit: defoſſos loculos inuenit, vnde ſuauiſſimus odor efflabatur. Cuius rei fama commota magna hominum multitudo eò conuénit, multique ex variis morbis ægroti ac debiles, ſani & integri domum redierunt. Sacrum autem S. Stephani corpus quod ſumma tunc celebritate in ſanctam Eccleſiam Sion illatum eſt, ſub Theodoſio iuniore Conſtantinopolim, inde Romam Pelagio primo ſum̃o Pontifice tranſlatum, in agro Verano in ſepulchro ſancti Laurentij martyris collocatum eſt. ℟. Impetum fecerunt. 184.

Ex libro ſancti Auguſtini Epiſcopi de Ciuitate Dei.

*Lib. 22. c. 8. circa med.* Lectio vij.

AD aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Proiecto reliquias martyris glorioſiſſimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur, orauit: flores, quos ferebat, dedit: recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlteriùs non requirens.
℟. Impij ſuper iuſtum. 134.

Lectio viij.

MEmorati memoriam Martyris, quæ poſita eſt in caſtello Syniceuſi, quod Hipponenſi coloniæ vicinum eſt, eiuſdem loci Lucillus Epiſcopus, populo præcedente atque ſequente, portabat: fiſtula, cuius moleſtia iamdiu laborauerat & familiariſſimi ſui medici, qui eam ſecaret, operiebatur manus, illius piæ ſarcinę vectatione, repentè ſanata eſt. ℟. Surrexerunt quidam. 185.

In iij. Noctur. Aña. Ieruſalem * Ieruſalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſi ſunt.
Cantica de Communi vnius Martyr.
Homilia S. Hieronymi in Euang.
Ecce ego mitto ad vos Prophetas, vt in eius Feſto. 185.
℟. ix. Stephanus ſeruus Dei. 185.
℟. x. Patefactæ ſunt. 185.
℟. xj. Sepelierunt. 186.
℟. xij. Beatus vir. vt in Communi vnius Martyris. xxvij.
Euangelium vt in die Feſti. 186.

Oratio.

DA nobis, quæſumus Domine, imitari quod colimus, vt diſcamus & inimicos diligere: quia

eius Inuentionem celebramus, qui nouit etiam pro perſecutoribus exorare Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Qui tecum.

Ad Laudes, & per Horas, omnia vt in eius Feſto. 186. Oratio. Da nobis quæſumus Domine. ſuprà.

Ad j. Veſperas, Aña. Lapidauerũt Stephanum. cum reliq. de Laudib. diei Feſti eiuſdẽ. 186 Pſal Dixit Dominus. cum reliq. de Dñica. 102.

Capitulum. Stephanus autẽ. vt in Laudib. Feſti. 186. ℟. bre. Hymn. & ℣. de Cõmuni vnius Mart. xxix.

Ad Magnificat, Antiphona.

Stephanus autem * plenus gratia & fortitudine, faciebat ſigna magna in populo. Orat. Da nobis, quęſumus.

Veſperæ dicuntur de S. Dominico cum cõmem. S. Steph. Aña. Sepelierunt Stephanum. ℣. Stephanus vidit cælos apertos. 187. Orat. Da nobis, quæſumus Domine. ſup.

Niſi contingat Feſtum S. Steph. transferri: tunc enim in ij. Veſp. dicitur Aña, Lapidauerunt Stephanum. cum reliquis de Laud. Feſti. Pſal. Dixit Dominus. 102. Beatus vir. 103. Laudate pueri. 103. Credidi. 105. Et à Capit. fit de ſeq. Feſto, cum cõm. S. Steph. vt ſup.

*Die iv. Auguſti.*

## IN FESTO S. DOMINICI

Confeſſoris. Duplex. Oratio.

Deus, qui Eccleſiã tuã beati Dominici cõfeſſoris tui illuminare dignatus es meritis & doctrinis: concede; vt eiꝰ interceſſione tẽporalibus non deſtituatur auxiliis, & ſpiritualibus ſemper proficiat incremẽtis. Per.

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

Dominicus, Calarogæ in Hiſpania ex nobili Guſmanorum familia natus, Palentiæ liberalibus diſciplinis & Theologiæ operam dedit: quo in ſtudio cùm plurimùm profeciſſet, priùs Oxomenſis Eccleſiæ Canonicus regularis, deinde Ordinis Fratrum Prædicatorum auctor fuit. Huius mater grauida ſibi viſa eſt in quiete continere in aluo catulũ ore præferentem facem, qua editus in lucem, orbem terrarum incenderet. Quo ſomnio ſignificabatur, fore vt ſplendore ſanctitatis ac doctrinæ, gentes ad Chriſtianam pietatem inflammarentur. Veritatem exitus comprobauit: id enim & pręſtitit per ſe, & per ſui Ordinis ſocios deinceps eſt conſecutus. ℟. Honeſtum. lxxij.

Lectio vj.

Huius autem ingeniũ ac virtus maximè enituit in euertendis hæreticis, qui pernicioſis erroribus Tholoſates peruertere conabantur. Quo in negotio ſeptem conſumpſit annos. Poſteà Romam venit ad Lateranenſe Concilium cum Epiſcopo Tholoſano, vt Ordo, quẽ inſtituerat, ab Innocentio tertio confirmaretur. Quę res dum in deliberatione verſatur, Dominicus hortatu Põtificis ad ſuos reuertitur, vt ſibi regulam deligeret. ℟. Amauit eum. lxxiij.

Lectio vij.

Romam rediens, ab Honorio tertio, qui proximus Innocentio ſucceſſerat, confirmationem Ordinis Prædicatorum impetrat. Romæ autem duo inſtituit monaſteria, alterum virorum, mulierum alterum. Tres etiam mortuos ad vitam reuocauit, multaque alia edidit miracula, quibus Ordo Prædicatorum mirificè propagari cœpit. ℟. Iſte homo perfecit. lxxiij.

Lectio viij.

Verùm cùm eius opera vbique terrarum monaſteria iam ædificarentur, innumerabileſque homines religioſam ac piam vitam inſtituerent, Bononiæ anno Chriſti ducẽteſimo vigeſimo primo ſupra milleſimum, in febrem incidit: ex qua cùm ſe moriturum intelligeret, conuocatis Fratribus & alumnis ſuæ diſciplinæ, eos ad innocentiam & integritatem cohortatus eſt. Poſtremò charitatem, humilitatem, paupertatem, tamquam certum patrimonium eis teſtamento reliquit: Fratribuſq; orantibus, in illis verbis: Subuenite ſancti Dei, occurrite Angeli, obdormiuit in Domino, octauo Idus Auguſti: quem poſteà Gregorius nonus Pontifex retulit in Sanctorum numerum. ℟. Deſideriũ animæ. lxxiij.

In iij. Noct. Homilia S. Gregorij Papæ in Euangel. Sint lumbi. de Comm Confeſſ' non Pontif. lxxiij.

Veſperæ dicuntur de Feſto ſeq.

*Die v. Auguſti.*

IN FESTO SANCTÆ Mariæ ad Niues. Duplex.

AD MATVTINVM.

Inuitatorium.

Sancta Maria Dei genitrix virgo, Intercede pro nobis. Pſal. Venite, exultemus. 14. Hym. Quem terra, pontus. vt in Natiu. viij. Sep.

Añæ, Pſalmi, & Verſus j. & ij. Nocturni, vt in Natiuitate beatæ Virginis, infrà, viij. Septembris.

In primo Nocturno.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. *Cap. 8. b. 12. & 9. a. 1.*

Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam, & ſuperbiam, & viam prauam, & os bilingue deteſtor. Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me principes imperant, & potẽtes decernunt iuſtitiam. Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilant ad me, inuenient me. ℟. Sancta & immacula virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio: * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia. Lectio ij.

Mecũ ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. In viis iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarũ iudicij, vt ditem diligẽtes me, & theſauros eorũ repleã. Dñs poſſedit me in initio viarũ ſuarũ, antequã quidquam faceret à principio. ℟. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cùm eſſem paruula, placui Altiſſimo: * Et de meis viſceribus genui Deum & hominem. ℣. Beatam me dicẽt omnes generationes, quia ancillã humilem reſpexit Deus. Et de. Lectio iij.

Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondũ erant abyſſi, & ego iam concepta eram: necdum fõtes aquarum eruperant: necdũ montes graui mole cõſtiterant: ante colles ego parturiebar. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. ℟. Beata es virgo Maria, quæ Dominum portaſti creatorem mundi: *

Genuiſti qui te fecit, & in æternum permanes virgo. ℣. Aue Maria, gratia plena: Dominus tecum. Genuiſti.

Lectio iiij.

QVi me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino: qui autem in me peccauerit, lædet animam ſuam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Si quis eſt paruulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. ℟. Beata progenies, vnde Chriſtus natus eſt. O quàm glorioſa eſt virgo, quæ cæli Regem genuit! ℣. Felix namque es ſacra virgo Maria, & omni laude digniſſima. O quàm. Gloria. O quàm.

In ſecundo Nocturno. Lectio v.

LIberio ſummo Pontifice, Ioannes Patricius Romanus & vxor pari nobilitate, cùm liberos non ſuſcepiſſent, quos bonorum heredes relinquerent, ſuam hereditatem ſanctiſſimæ Virgini Dei matri vouerunt: ab ea ſummis precibus aſſiduè petentes, vt in quod pium opus eam pecuniam potiſſimùm erogari vellet, aliquo modo ſignificaret. Quorum preces & vota ex animo facta beata virgo Maria benignè audiens, miraculo comprobauit. ℟. Sicut cedr⁹ exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, Dedi ſuauitatẽ odoris. ℣. Et ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans. Dedi.

Lectio vj.

NOnis igitur Auguſti, quo tempore in Vrbe maximi calores eſſe ſolent, noctu nix partem collis Exquilini contexit. Qua nocte Dei mater ſeparatim Ioannem & coniugem in ſomnis admonuit, vt quem locum niue conſperſum viderent, in eo Eccleſiam ædificarent, quæ Mariæ virginis nomine dedicaretur: ſe enim ita velle ab ipſis heredem inſtitui. Quod Ioannes ad Liberium Pontificem detulit, qui idem per ſomnium ſibi contigiſſe affirmauit. ℟. Quæ eſt iſta quæ proceſſit ſicut ſol, & formoſa tamquam Ieruſalẽ? Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudauerũt eam. ℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia conuallium. Viderunt.

Lectio vij.

QVare ſolemni ſacerdotum & populi ſupplicatione ad collem venit niue coopertum, & in eo locũ Eccleſiæ deſignauit, quæ Ioannis & vxoris pecunia extructa eſt, poſteà à Xyſto tertio reſtituta. Variis nominibus primùm eſt appellata, Baſilica Liberij, ſancta Maria ad Præſepe. ℟. Ornatam monilibus filiam Ieruſalem Dominus concupiuit: Et videntes eam filiæ Sion, beatiſſimam prædicauerunt, dicentes: Vnguentum effuſum nomen tuum. ℣. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes.

Lectio viij.

SEd cùm multæ iam eſſent in Vrbe Eccleſiæ ſub nomine ſanctæ Mariæ virginis: vt quæ Baſilica nouitate miraculi ac dignitate ceteris eiuſdem nominis Baſilicis pręſtaret, vocabuli etiam excellentia ſignificaretur,

retur, Eccleſia ſanctæ Mariæ maioris dicta eſt. Cuius dedicationis memoria ex niue, quæ hac die mirabiliter cecidit, anniuerſaria celebritate colitur. ℟. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum. ℣. Myrrha, & gutta & caſia à veſtimentis tuis, à gradibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Propterea. Gloria. Propterea.

In iij. Noct. ad Cãtica, Aña. Hortus * concluſus es Dei Genitrix, hortus concluſus, fons ſignatus: ſurge, propera amica mea, & veni.

Cant. Obaudite vt in eius Natiu.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam.

Lectio S. Euangelij ſecundùm Lucam. Lectio ix. *Cap. 11. d. 57.*

IN illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit. Et reliq.

Homilia venerabilis Bedæ Preſb. *Lib. 4. c. 49. in Luc. 11.*

MAgnæ deuotionis & fidei hæc mulier oſtenditur, quæ Scribis & Phariſæis Dñm tẽtantibus, ſimul & blaſphemantibus, tanta eius incarnationem præ omnibus ſinceritate cognoſcit, tanta fiducia confitetur, vt & præſentium procerum calumniam, & futurorum cõfundat hæreticorum perfidiam. Nam ſicut tunc Iudæi, ſancti Spiritus opera blaſphemando, verum conſubſtantialẽq; Patri Dei Filiũ negabãt: ſic hæretici poſteà negando, Mariam ſemper virginẽ, ſancti Spiritus operãte virtute, naſcituro cum humanis membris vnigenito Dei, carnis ſuæ materiam miniſtraſſe, verum conſubſtantialemque matri filium hominis fateri non debere dixerunt. ℟. Felix namq; es ſacra virgo Maria, & omni laude digniſſima: * Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. ℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo ſexu: ſentiãt omnes tuũ iuuamẽ, quicumque celebrant tuam ſanctam feſtiuitatem. Quia ex te. Lectio x.

SEd ſi caro Verbi Dei ſecundùm carnem naſcentis, à carne Virginis matris pronunciatur extranea, ſine cauſa venter qui eam portaſſet, & vbera quæ lactaſſent, beatificantur. Dicit autem Apoſtolus: Quia miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. Neque audiendi ſunt qui legendum putant, Natum ex muliere, factum ſub lege; ſed, Factum ex muliere: quia conceptus ex vtero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, ſed materna traxit ex carne: alioquin nec verè Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. ℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. ℣. Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Lectio xj.

ET nos igitur his contra Eutychen dictis, extollamus vocem cum Eccleſia catholica, cuius hæc mulier typum geſſit, extollamus & mentem de medio turbarum, dicamuſque Saluatori: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Verè enim beata parens, quæ, ſicut quidam ait, Enixa eſt puerpera Regem, Qui cælũ terramq; tenet per ſæcula.

℞. Benedicta & venerabilis es virgo Maria, * Cuius viſcera meruerunt portare Dñm Chriſtum. ℣. Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus vẽtris tui. Cuius viſcera.

Lectio xij.

QVinimmò beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt. Pulchrè Saluator atteſtationi mulieris annuit, non eam tantummodò quæ verbum Dei corporaliter generare meruerat, ſed & omnes qui idem Verbum ſpiritaliter auditu fidei concipere, & boni operis cuſtodia vel in ſuo vel in proximorum corde parere, & quaſi alere ſtuduerint, aſſeuerans eſſe beatos: quia & eadem Dei genitrix, & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi miniſtra facta eſt temporalis; ſed inde multò beatior, quia eiuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna. ℞. Beata es virgo Maria Dei genitrix, quæ credidiſti Domino: perfecta ſunt in te, quæ dicta ſunt tibi: ecce exaltata es ſuper choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Dñm Deum noſtrum. ℣. Aue Maria, gratia plena: Dñs tecum. Intercede. Gloria. Intercede.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Lucam. *Cap. 11. d. 27.*

IN illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit; & vbera, quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimmò, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

Oratio.

COncede nos famulos tuos, quęſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere: & glorioſa beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum.

Ad Laudes, & per Horas, Aña.

DVm eſſet rex * in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis. Pſal. Dñs regnauit. cũ reliq. 26. Aña. Læua eius * ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Aña. Nigra ſum, * ſed formoſa, filiæ Ieruſalem: ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum ſuum. Aña. Iam hiems tranſiit, * imber abiit, & receſſit: ſurge amica mea, & veni. Aña. Specioſa * facta es & ſuauis in deliciis tuis, ſancta Dei genitrix.

Capitulum. *Eccl. 24. b 14.*

AB initio, & ante ſæcula creata ſum, & vſq; ad futurum ſæculũ non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. ℞. Breu. Aue Maria. Hymn. O glorioſa Domina. inf. in eius Natiu. ℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. ℞. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus, Aña. Beata es Maria, * quæ credidiſti: perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Dño, all. Orat. Concede nos famulos. ſuprà.

Ad Tertiam, Aña. Læua eius. Capitul. Ab initio. ſup. in Laud. ℣. Specie tua.

Ad Sextam, Aña. Nigra ſum.

Capitulum. *Eccl. 24. b. 15.*

ET ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Ieruſalem poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea. ℣. Adiuuabit.

Ad Nonam, Aña. Specioſa.

Capitu-

Capitulum. *Eccl. 24. b. 20.*

IN plateis ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris. ℣. Elegit eam.

Ad j. Veſp. Aña. Dum eſſet Rex. cum reliq. de Laudib. Pſalm. Dixit Dñs. 102. Laudate pueri. 103. Lætatus ſum. 100. Niſi Dominus. 101. Capitulum. Ab initio. ſuprà. ℟. breue. Aue Maria. Hymn. Aue Maris ſtella. infrà in Natiuitate B. Mariæ. viij. Sept. ℣. Dignare me laudare te virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Ad Magnif. Aña. Sancta Maria,* ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumq; celebrant tuam ſanctam feſtiuitatem. Oratio. Concede nos famulos.

Deinde fit comem. S. Dominici. Orat. Deus, qui Eccleſiam. ſuprà.

ij. Veſperæ de Transfiguratione.

*Die vi. Auguſti.*

## IN FESTO TRANSFIGVRATIONIS Domini noſtri Ieſu Chriſti. Duplex.

### AD MATVTINVM.

Inuitatorium.

Summum Regem gloriæ, Chriſtũ adoremus. Pſal. Venite exultemus. 14.

Hymnus.

Qvicumque Chriſtum quæritis,
Oculos in altum tollite:
Illic licebit viſere
Signum perennis gloriæ,
Illuſtre quiddam cernimus,
Quod neſciat finem pati,
Sublime, celſum, interminum,
Antiquius cælo & chao.
Hic ille Rex eſt Gentium,
Populique Rex Iudaici,
Promiſſus Abrahæ patri,
Eiuſque in æuum ſemini.
Hunc & Prophetis teſtibus,
Iiſdemque ſignatoribus
Teſtator, & Pater iubet
Audire nos, & credere.
Gloria tibi Domine,
Qui apparuiſti hodie,
Cum Patre & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

In j. Noct. Aña. Paulò minùs* ab Angelis minoratus, gloria & honore coronatus eſt, & conſtitutus ſuper opera manuum Dei. Pſalmus 8.

DOmine Dominus noſter,* quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua,* ſuper cælos.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudẽ propter inimicos tuos,* vt deſtruas inimicum & vltorem.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quòd memor es eius? * aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum:* & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius,* oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.

Volucres cæli, & piſces maris, * qui perambulant ſemitas maris.

Domine Dominus noſter, * quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

Aña. Paulò minùs ab Angelis mino-

ratus, gloria & honore coronatus eſt, & conſtitutus ſuper opera manuum Dei. Aña. Reuelauit * Dominus condenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam. Pſalm. 28.

AFferte Domino filij Dei : * afferte Dño filios arietum.

Afferte Domino gloriam & honorẽ, afferte Domino gloriam nomini eius : * adorate Dominum in atrio ſancto eius.

Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit : * Dominus ſuper aquas multas.

Vox Domini in virtute : * vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros:* & confringet Dñs cedros Libani :

Et comminuet eas tamquam vitulum Libani : * & dilectus quemadmodum filius vnicornium.

Vox Domini intercidentis flammã ignis: * Vox Domini concutientis deſertum: & commouebit Dominus deſertum Cades.

Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa : * & in templo eius omnes dicent gloriam.

Dñs diluuium inhabitare facit : * & ſedebit Dominus rex in æternum.

Dominus virtutem populo ſuo dabit : * Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Aña. Reuelauit Dominus condenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam. Aña. Specioſus * forma præ filiis hominum ; diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Pſalmus 44.

ERuctauit cor meum verbũ bonũ : * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus ſcribæ, * velociter ſcribentis.

Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis:* propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, * potentiſſime,

Specie tua & pulchritudine tua * intende, proſpere procede, & regna,

Propter veritatem & manſuetudinem, & iuſtitiam : * & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi:* virga directionis virga regni tui.

Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem:* propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis : * ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.

Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato : * circumdata varietate.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam : * & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.

Et concupiſcet Rex decorem tuũ : * quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus* vultum tuum deprecabuntur, omnes diuites plebis.

Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines poſt eã: * proximæ eius afferentur tibi.

Afferentur in lætitia & exultatione : * adducentur in templum regis.

Pro patribꝰ tuis nati ſunt tibi filij: * conſtitues eos principes ſuper omnẽ terram.

Memo-

Memores erunt nominis tui * in omni generatione & generationem.
Propterea populi confitebuntur tibi in æternum,* & in ſæculũ ſæculi.
Aña. Specioſus forma præ filiis hominum : diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Aña. Ecce nubes * lucida obumbrauit eos : paterna vox audita eſt: Hic eſt Filius meus.

Pſalmus. Deus noſter refugium. vt in Pſalterio. 43.

Aña. Petrus,* & qui cum illo præſentes erant, Chriſto lætificati, viderunt gloriam Dei. Pſalmus. Omnes Gentes. 43. Aña. Reſpondens* Petrus ait ad Ieſum : Domine, ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula.

Pſalm. Magnus Dominus. 44.

℣. Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini. ℟. Propterea decorem induit te Dominus.

De Epiſtola ij. B. Petri Apoſtoli.

Lectio j. *Cap. 1. b. 10.*

FRatres, magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Dñi noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti. Propter quod incipiam vos ſemper commonere de his: & quidem ſcientes & confirmatos vos in præſenti veritate. ℟. Surge, illuminare Ieruſalem, quia venit lumẽ tuum: *Et gloria Domini ſuper te orta eſt. ℣. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. Et.

Lectio ij.

IVſtum autem arbitror, quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione : certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis.

℟. In ſplendenti nube Spiritus ſanctus viſus eſt, paterna vox audita eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite. ℣. Apparuit nubes obumbrãs, & vox Patris intonuit. Hic eſt.

Lectio iij.

NOn enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præſentiam : ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto.

℟. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, *Vt filij Dei nominemur, & ſimus. ℣. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Vt filij.

Lectio iiij.

ET habemus firmiorem propheticum ſermonem : cui bene facitis attendẽtes, quaſi lucernæ lucẽti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibꝰ veſtris: hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione nõ fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.

℟. Aſ-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg

℟. Aſſumens Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius; * In montem excelſum ſeorſum aſcendens, ibi ſe transfigurans, ſuæ gloriæ claritatem eis oſtendit. ℣. Ne videntes eius paſſionem turbarentur, ſed fortiori ſoliditate firmarentur. In montē. Gloria Patri. In montē.

In ij. Nocturno, Aña. Illuminans* tu mirabiliter à montibus æternis: turbati ſunt omnes inſipientes corde.

Pſalmus 75.

Notus in Iudæa Deus: * in Iſraël magnum nomen eius.

Et factus eſt in pace locus eius: & habitatio eius in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, * ſcutum, gladium, & bellum.

Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: * turbati ſunt omnes inſipientes corde.

Dormierunt ſomnum ſuum: * & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.

Ab increpatione tua Deus Iacob * dormitauerunt qui aſcenderunt equos.

Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo auditum feciſti iudicium: * terra tremuit & quieuit,

Cùm exurgeret in iudicium Deus, * vt ſaluos faceret omnes manſuetos terræ.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: * & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.

Vouete, & reddite Domino Deo veſtro, * omnes qui in circuitu eius affertis munera.

Terribili & ei qui aufert ſpiritum principum, * terribili apud reges terræ.

Aña. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati ſunt omnes inſipientes corde.

Aña. Melior eſt * dies vna in atriis tuis ſuper millia.

Pſalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! * concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea * exultauerunt in Deum viuum.

Etenim paſſer inuenit ſibi domum, * & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: * rex meus, & Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: * in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cuius eſt auxiliũ abs te: * aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Iacob.

Protector noſter aſpice Deus: * & reſpice in faciem Chriſti tui:

Quia melior eſt dies vna in atriis tuis * ſuper millia.

Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, * magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus, * gratiam, & gloriam dabit Dominus.

Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui ſperat in te.

Aña.

Aña. Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. Aña. Glorioſa * dicta ſunt de te ciuitas D[illegible]

Pſalmus. Fundamenta eius. vt in Pſalt. 72. Aña. Thabor * & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia.

Pſalmus. Miſericordias Domini. cum ſua diuiſione. 72.

Aña. Lux orta eſt * iuſto, & rectis corde lætitia. Pſalm. Dominus regnauit, exultet terra. 76.

Aña. Confeſſionem * & decorem induit, amictus lumine ſicut veſtimẽto. Pſalm. Benedic anima mea Domino, Domine Deus. cum ſua Diuiſione. 82. ℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

*Serm. de Transfigurat.* Lectio v.

APerit Dominus coram electis teſtibus gloriam ſuam, & communem illam cum ceteris corporis formam tanto ſplendore clarificat, vt & facies eius ſolis fulgori ſimilis, & veſtitus candori niuium eſſet æqualis. In qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, vt de cordibus diſcipulorum crucis ſcandalum tolleretur: nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas paſſionis, quibus reuelata eſſet abſconditæ excellentia dignitatis. ℟. Inebriati ſunt ab vbertate domus tuæ: * Et torrente voluptatis tuæ potaſti eos. ℣. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Et.

Lectio vj.

SEd non minore prouidentia ſpes ſanctæ Eccleſiæ fundabatur, vt totum Chriſti corpus agnoſceret, quali eſſet commutatione donandũ: vt eius ſibi honoris conſortiũ membra promitterent, qui in capite præfulſiſſet. Confirmandis verò Apoſtolis, & ad omnem ſcientiam prouehendis, alia quoque in illo miraculo acceſſit inſtructio. Moyſes enim & Elias, Lex ſcilicet & Prophetæ, apparuerunt cum Domino loquentes: vt veriſſimè in illa quinque virorum præſentia compleretur quod dictum eſt: In duobus, vel tribus teſtibus ſtat omne verbum. ℟. Præceptor, bonum eſt nos hîc eſſe: * Faciamus hîc tria tabernacula: tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. ℣. Non enim ſciebat quid diceret. Faciamus.

Lectio vij.

QVid hoc ſtabiliùs, quid firmiùs verbo, in cuius prædicatione veteris & noui Teſtamenti concinit tuba, & cum Euangelica doctrina, antiquarum proteſtationum inſtrumenta concurrunt? Aſtipulantur enim ſibi inuicem vtriuſque fœderis paginæ: & quem ſub velamine myſteriorum præcedentia ſigna promiſerant, manifeſtum atque perſpicuum præſentis gloriæ ſplendor oſtendit. ℟. Si miniſtratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: * Multò magis miniſtratio ſpiritus, quæ manet, erit in gloria.

℣. Amplioris enim gloriæ Chriſtus præ Moyſe dignus eſt habitus, quantò ampliorem honorem habet domo, qui fabricauit eam. Multò magis.

Lectio viij.

HIs ergo ſacramentorum reuelationibus Petrus Apoſtolus incitatus, mundana ſpernens, & terrena faſtidiens, in æternorum deſiderium quodam mentis rapiebatur exceſſu: & gaudio totius viſionis impletus, ibi cum Ieſu optabat habitare, vbi manifeſta eius gloria lætabatur. Vnde & ait: Domine, bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Sed huic ſuggeſtioni Dominus non reſpondit: ſignificans, non quidem improbum, ſed inordinatum eſſe quod cuperet, cùm ſaluari mundus, niſi Chriſti morte, non poſſet: & exemplo Domini in hoc vocaretur credentium fides, vt, licet non oporteret de beatitudinis promiſſionibus dubitari, intelligeremus tamen inter tentationes huius vitæ priùs nobis tolerantiam poſtulandam eſſe, quàm gloriã. ℟. Aſſumptis hodie Dominus Ieſus tribus diſcipulis, montem vt oraret ſubiit excelſum ſolus, & orans coram eis transfiguratus eſt, facieſque eius vt ſol reſplenduit: * Ac veſtimenta eius vt nix facta ſunt candida.

℣. Vt autem teſtimonium haberet à lege & Prophetis, hinc inde Moyſes & Elias viſi ſunt in maieſtate. Ac veſtimenta.

In tertio Nocturno, ad Cantica,

Aña. Hodie * ad Patris vocem transfigurato Domino, Moyſes & Elias affuerunt ſplendidi; exceſſum eius, quem completurus erat, loquentes.

Cantica, Domine miſerere noſtri. vt ſup. in Dominica de Pſalterio. 22.

℣. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo. ℟. Gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.

Lectio S. Euangelij ſecundùm Matthæum. Lectio ix. *Cap. 17. a. 1.*

IN illo tempore: Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius; & duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

*Homilia 57. in Matth. in initio.*

QVoniam multa de periculis, multa de paſſione ſua, multa de morte, & de cæde diſcipulorum locutus eſt Dominus: & aſpera complura atque ardua eis iniunxit, & illa quidem in præſenti vita, & iam imminebant; bona verò in ſpe & expectatione erant: vtputa, quia ſeruarent animam ſuam, ſi perderent eam; quia in gloria Patris ſui venturus ſit, & præmia redditurus: vt viſu etiam certiores faceret, & oſtenderet quidnam ſit illa gloria, cum qua venturus eſt, quantùm capere poterant in hac præſenti vita illis oſtendit, eamque detegit, ne aut ſua, aut Domini morte doleant, & maximè Petrus. ℟. Vocauit nos Deus vocatione ſua ſancta, ſecundùm gratiam ſuam, quæ manifeſtata eſt nunc, * Per illuminationem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

℣. Qui deſtruxit mortem, illuminauit autem vitam in incorruptionem. Per illuminationem.

Lectio x.

ET vide quid agit, cùm de regno & de gehenna diſſeruerit. Nam in eo quod dixit: Qui inuenit animam ſuam, perdet eam; & quicumque perdet eam gratia mei, inueniet ipſam: & in eo quod ait, Reddet vnicuique ſecundùm opera ſua; & regnum

regnum & gehennam deſignauit.

℟. Deus, qui fecit de tenebris lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris, * Ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Ieſu Chriſti. ℣. Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde, miſericors & miſerator & iuſtus. Ad illuminationem.

Lectio xj.

CVm igitur de vtriſque diſſeruerit, regnum quidem vt oculis cernatur, concedit; gehennam autem minimè, quoniam rudioribus atque ineptioribus illud neceſſarium fuiſſet: ſed cùm illi probi eſſent ac perſpicaces, ſatis fuit eos à melioribus confirmari. Hoc etiam multò magis ipſum decebat: non tamen omninò illud prætermiſit, ſed & aliquando atrocitatem gehennæ quaſi ante oculos proponit, veluti cùm Lazari imaginem deſcripſit, & eius meminit qui denarios centum repetiit.

℟. Deſcendentibus illis de monte, præcepit Ieſus dicens: Nemini dixeritis viſionem, quam vidiſtis: * Donec Filius hominis à mortuis reſurgat. ℣. Ne mors eius aliquo modo impediretur, ſi hæc viſio in populo ſtatim diuulgaretur. Donec.

Pro SS. martyribus Xyſto, Feliciſsimo, & Agapito.

Lectio xij.

XYſtus ſecundus, Athenienſis, ex Philoſopho Chriſti diſcipulus, in perſecutione Valeriani accuſatus quòd publicè Chriſtum prædicaret, comprehenſus trahitur in templum Martis, propoſita ei capitali pœna, niſi illi ſimulacro ſacrificaret. Qua impietate conſtantiſſimè recuſata, cùm ad martyrium duceretur, occurrenti ſancto Laurentio, & dolenter in hunc modum interroganti: Quò progrederis ſine filio pater? quò Sacerdos ſancte ſine miniſtro properas? Reſpondit: Non ego te deſero fili: maiora te manent pro Chriſti fide certamina: poſt triduum me ſequeris, Sacerdotem Leuita: intereà, ſi quid in theſauris habes, pauperibus diſtribue. Eodem igitur die interfectus eſt vnà cum Feliciſſimo & Agapito diaconis, Ianuario, Magno, Vincentio & Stephano ſubdiaconis, & in cœmeterio Calliſti ſepultus octauo Idus Auguſti: ceteri verò in cœmeterio Prætextati. Sedit menſes vndecim, dies duodecim. Quo tempore habuit Ordinationem menſe Decembri, creatis Presbyteris quatuor, Diaconis ſeptem, Epiſcopis duobus.

℟. conueniens de Com. plur. Mart.

Euangelium. Aſſumpſit Ieſus Petrum. vt ſuprà in Dominica ij. Quadrageſ. 329.

Oratio.

DEus, qui fidei ſacramenta in Vnigeniti tui glorioſa Transfiguratione patrum teſtimonio roboraſti; & adoptionem filiorum perfectam, voce delapſa in nube lucida, mirabiliter præſignaſti: concede propitius; vt ipſius Regis gloriæ nos coheredes efficias, & eiuſdem gloriæ tribuas eſſe conſortes. Per eumdem Dominum.

Ad Laudes, & per Horas, Añæ.

ASſumpſit Ieſus * Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit eos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Pſalmus. Dominus regnauit. cum reliquis. 26.

Aña. Reſplenduit * facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix, alleluia. Aña. Et ecce * apparuerunt eis Moyſes & Elias, loquentes cum Ieſu. Aña. Reſpondens autem * Petrus dixit ad Ieſum : Domine , bonum eſt nos hic eſſe. Aña. Adhuc eo loquente , * ecce nubes lucida obumbrauit eos.

Capitulum. *Philip.* 3.*d.*21.

SAluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. ℟. breue. Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini, * Alleluia, allel. Glorioſus. ℣. Propterea decorem induit te Dominus. Alleluia, allel. Gloria. Glorioſus.

Hymnus.

AMor Ieſu dulciſſime,
Quando cor noſtrum viſitas,
Pellis mentis caliginem,
Et nos repleς dulcedine.
Quam felix eſt quem ſatias,
Conſors paternæ dexteræ,
Tu veræ lumen patriæ,
Quod omnem ſenſum ſuperat.
Splendor paternæ gloriæ,
Incomprehenſa bonitas,
Amoris tui copiam
Da nobis per præſentiam.
Gloria tibi Domine,
Qui apparuiſti hodie,
Cum Patre, & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Corona aurea ſuper caput eius.
℟. Expreſſa ſigno ſanctitatis , gloriæ, & honoris.

Ad Benedictus, Antiphona.

Et ecce * vox de nube , dicens : Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite, alleluia.

Oratio. Deus, qui fidei. ſup.

Deinde fit com. SS. Xyſti , &c. mart. Aña. Veſtri capilli. ℣. Exultabunt. Orat. Deus, qui nos infrà.

Ad Tertiam, Aña. Reſplenduit. Capit. Saluatorem expectamus. ſup. ℣. Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini, allel. ℟. Propterea decorem induit te Dominus, allel.

Ad Sextã, Aña. Et ecce apparuerũt.

Capitulum. 2.*Cor.* 3.*d.*8.

NOs omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes , in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem , tamquam à Domini ſpiritu. ℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine, allel. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, allel.

Ad Nonã, Aña. Adhuc eo loquẽte.

Capitul. *Apoc.* 21.*c.* 11.

SVſtulit me in ſpiritu in montem magnum, & altum , & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem, deſcẽdentem de cælo à Deo , habentem claritatem Dei : & lucerna eius eſt Agnus. ℣. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo , alleluia. ℟. Gloriam & magnum decorem impones ſuper eum, alleluia.

Ad j. Veſperas , Aña. Aſſumpſit Ieſus. cum rel. de Laud. Pſal. Dixit Dominus. cum rel. de Dominica. 102. Capitul. Saluatorem expectamus Dñm. ſup. ℟. br. Gloria & honore coronaſti eum Domine, * Allel. allel. Gloria. ℣. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Gloria & honore.

Hymnus.

QVicumque Chriſtum quæritis,
Oculos in altum tollite :

Illic licebit viſere
Signum perennis gloriæ.
Illuſtre quiddam cernimus,
Quod neſciat finem pati,
Sublime, celſum, interminum,
Antiquiùs cælo & chao.
Hic ille Rex eſt Gentium,
Populique Rex Iudaici,
Promiſſus Abrahæ patri,
Eiuſque in æuum ſemini.
Hunc & Prophetis teſtibus,
Iiſdemque ſignatoribus,
Teſtator & Pater iubet
Audire nos & credere.
Gloria tibi Domine,
Qui apparuiſti hodie,
Cum Patre & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Sic terminantur Hymni per omnes Horas. ℣. Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini. ℟. Propterea decorem induit te Dominus.

Ad Magnificat, Aña. Chriſtus Ieſus * ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, in monte excelſo glorioſus apparere hodie dignatus eſt.

Oratio. Deus, qui fidei ſacramenta.

Pro comem. S. Mariæ ad Niues.

Aña. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus. ℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Orat. Concede nos famulos.

Deinde fit commemoratio SS. Xyſti, Feliciſsimi, & Agapiti mart.

Aña. Iſtorum eſt enim. ℣. Lætamini. Oratio.

Deus, qui nos concedis ſanctorum martyrum tuorum Xyſti, Feliciſſimi, & Agapiti natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum ſocietate gaudere. Per.

In ij. Veſp. omnia vt in primis.

Ad Magnificat, Antiph. Et audientes * diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde: & acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere, alleluia.

Oratio. Deus, qui fidei. vt ſuprà.

Deinde fit commem. S. Donati.

*Die vij. Auguſti.*

## SANCTI DONATI Epiſcopi & martyris. Oratio.

Deus tuorum gloria ſacerdotum: præſta quæſumus; vt ſancti martyris tui & Epiſcopi Donati, cuius feſta gerimus, ſentiamus auxilium. Per Dominum.

Lectio iij.

Donatus, parentibus propter Ieſu Chriſti fidem interfectis, Arretium in Etruriam cum Hilarino monacho ex fuga ſe contulit: cuius etiam vrbis Epiſcopus creatus eſt. Vbi cùm à Quadratiano Præfecto in Iuliani perſecutione vterque idola venerari iuberetur, negantibus illis ſe tam nefarium ſcelus commiſſuros, Hilarinus in oculis Quadratiani tamdiu fuſtibus cæſus eſt, dum efflaret animam: Donatus vehementer & ipſe cruciatus, gladio percuſſus eſt. Quorum corpora à Chriſtianis prope eam vrbem honorificè ſepulta ſunt.

*Die viij. Auguſti.*

## IN FESTO SS. CYRIACI, Largi, & Smaragdi, martyrum.

Semiduplex.

In ſecundo Nocturno.

Lectio v.

Cyriacus Diaconus, cum Siſinio, Largo, & Smaragdo, diutius inclu-

incluſus in carcere, multa edidit miracula, in quibus Arthemiam Diocletiani filiam precibus à dęmone liberauit: miſſuſque ad Saporem Perſarum regem, Iobiam etiam eius filiam à nefario ſpiritu eripuit. Rege verò eius patre cum quadringentis ac triginta aliis baptizatis Romam rediit: vbi Maximiani Imperatoris iuſſu comprehenſus, catenis vinctus ante rhedam ſuam trahitur. ℟. Sancti tui. xlviij.

Lectio vj.

ET poſt dies quatuor è carcere eductus, pice liquata perfuſus, & in cataſta extenſus, demũ cum Largo & Smaragdo, aliiſque viginti ſecuri percuſſus eſt, via Salaria, ad hortos Salluſtianos. Quorum corpora in eadem via decimo ſeptimo Kalendas Aprilis ſepulta à Ioanne Presbytero, poſteà ſexto Idus Auguſti à Marcello Pontifice & Lucina nobili femina lineis velis inuoluta, & pretioſis vnguentis condita, in ipſius Lucinæ prædium via Oſtienſi, ſeptimo ab Vrbe lapide tranſlata ſunt. ℟. Verbera carnificum. xlviij.

Lectio vij. & viij. Sermo S. Ioannis Chryſoſt. Nemo eſt qui neſciat. de Communi plurim. Martyr. lij.

℟. vij. Tamquam aurum. xlviij.

℟. viij. Certamen magnum. xlviij.

In tertio Nocturno.

Lectio ſancti Euangelij ſecundùm Marcum. Lectio ix. *Cap. 16. c. 15.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

*Homilia 29. in Euang. poſt initium.*

POteſt omnis creaturæ nomine omnis natio Gentiũ deſignari. Antè etenim dictum fuerat. In viam Gentium ne abieritis: nunc autem dicitur, Prædicate omni creaturæ: vt ſcilicet priùs à Iudæa Apoſtolorum repulſa prædicatio tunc nobis in adiutorium fieret, cùm hanc illa ad damnationis ſuæ teſtimonium ſuperba repuliſſet. ℟. Propter teſtamentum. xlix.

Lectio x.

SEd cùm diſcipulos ad prædicandum Veritas mittit, quid aliud in mundo facit, niſi grana ſeminis ſpargit? Et pauca grana mittit in ſemine, vt multarum meſſium fruges recipiat ex noſtra fide. Neq; etenim in vniuerſo mundo tanta fidelium meſſis exurgeret, ſi de manu Domini ſuper rationalem terram illa electa grana prædicantium non veniſſent. ℟. Sancti mei. l.

Lectio xj.

SEquitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Fortaſſe vnuſquiſque apud ſemetipſum dicat: Ego iam credidi, ſaluus ero. Verum dicit, ſi fidem operibus tenet. Vera etenim fides eſt, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc eſt enim quòd de quibuſdam falſis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. ℟. Corpora ſanctorum. l.

Lectio xij.

SIgna autem eos qui credituri ſunt, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Numquidnam, fratres mei, quia iſta ſigna non facitis, minimè creditis? Sed hæc neceſſaria in exordio Eccleſię fuerũt.

Vt enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia & nos, cùm arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra iam coaluiſſe videamus:& ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit. Hinc eſt enim quòd Paulus dicit: Linguæ in ſignum ſunt, non fidelibus, ſed infidelibus. ℟. Iuſtorum animæ. l.

Sequentia S. Euangelij ſecundùm Marcum. Cap. 16. c. 15.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hęc ſequentur: In nomine meo dęmonia eiicient: linguis loquẽtur nouis: ſerpẽtes tollẽt:& ſi mortiferũ quid biberint, nõ eis nocebit: ſuper ægros manus imponẽt, & bene habebũt. Orat.

DEus, qui nos annua ſanctorum martyrum tuorũ Cyriaci, Largi, & Smaragdi ſolemnitate lætificas: concede propitius; vt quorum natalitia colimus, virtutem quoque paſſionis imitemur. Per Dominum.

In ij. Veſp. cõm. S. Romani mart. Oratio. Præſta quæſumus omnipotens Deus: vt intercedente. in Communi vnius Martyris. xxviij.

*Die ix. Auguſti.*

## IN VIGILIA SANCTI Laurentij martyris.

Homilia in Euangelium, Si quis vult poſt me venire. de Communi vnius Martyris. xxx. ℟. de Dominica præcedenti. Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris: & interceſſione beati Laurentij martyris tui, cuius præuenimus feſtiuitatem, perpetuam nobis miſericordiam benignus impende. Per Dominum.

In Laud. fit cõm. S. Romani mart. Oratio. Præſta quæſumus omnipotens Deus: vt intercedente. xxviij.

*Die x. Auguſti.*

## IN FESTO S. LAVRENTII martyris. Duplex.

## AD MATVTINVM.

Inuitatorium.

Batus Laurentius Chriſti martyr triumphat coronatus in cælis: Venite adoremus Dominum. Pſalm. Venite, exultemus. 14. Hymn. Deus tuorum militum. xviij.

In primo Noct. Aña. Quò progrederis * ſine filio pater? quò ſacerdos ſancte ſine miniſtro properas? Pſal. Beatus vir. cum reliq. de Communi vnius Martyr. xviij. Aña. Noli * me derelinquere pater ſancte, quia theſauros tuos iam expendi, quos tradidiſti mihi. Pſalm. Quare fremuerunt. xviij. Aña. Non ego * te deſero fili, neque derelinquo: ſed maoira tibi debentur pro Chriſti fide certamina. Pſalm. Cùm inuocarem. xix. Aña. Beatus Laurentius * orabat, dicens: Domine Ieſu Chriſte, Deus de Deo, miſerere mihi ſeruo tuo. Pſalm. Verba. xix. Aña. Dixit Romanus * ad beatum Laurentium: Video ante te iuuenem pulcherrimum, feſtina me baptizare. Pſalm. Domine Dominus noſter. xx. Aña. Beatus Laurentius * dixit: Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt. Pſalm. In Domino confido. xx.

℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine. ℟. Et conſtituiſti

eum ſuper opera manuum tuarum.

De libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. Cap. 51. a. 1.

CONfitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium mendacium, & in conſpectu aſtantium factus es mihi adiutor. ℟. Leuita Laurentius bonum opus operatus eſt: qui per ſignum crucis cæcos illuminauit, * Et theſauros Eccleſiæ dedit pauperibus. ℣. Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Et theſauros.

Lectio ij.

ET liberaſti me ſecundùm multitudinem miſericordiæ nominis tui à rugientibus, præparatis ad eſcam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circumdederunt me: à preſſura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non ſum æſtuatus: de altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, á rege iniquo, & à lingua iniuſta. ℟. Puer meus noli timere, quia ego tecũ ſum, dicit Dominus: * Si tranſieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te. ℣. Liberabo te de manu peſſimorum, & eruam te de manu fortium. Si tranſieris.

Lectio iij.

LAudabit vſque ad mortem anima mea Dominũ, & vita mea appropinquans erat in inferno deorſum. Circumdederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret. Reſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine, & operationis tuæ, quæ à ſæculo ſunt: quoniam eruis ſuſtinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium. Exaltaſti ſuper terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecatus ſum. ℟. Strinxerunt corporis membra poſita ſuper craticulam: miniſtrantibus prunas inſulat Leuita Chriſti: * Beate Laurenti, martyr Chriſti, intercede pro nobis. ℣. Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt. Beate Laurenti.

Lectio iiij.

INuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore ſuperborum ſine adiutorio. Laudabo nomen tuũ aſſiduè, & collaudabo illud in confeſſione, & exaudita eſt oratio mea. Et liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Dñi. ℟. Beatus Laurentius dixit: Ego me obtuli ſacrificium, * In odorẽ ſuauitatis. ℣. Gaudeo planè, quia hoſtia Chriſti effici merui. In odorem. Gloria. In odorem.

In ij. Noctur. Aña. Strinxerunt * corporis membra poſita ſuper craticulam: ſubiicientibus prunas inſultat Leuita Chriſti. *Pſal.* Domine, quis habitabit. xxij. Aña. Igne * me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.

Pſalmus.

EXaudi Dñe iuſtitiam meam: * intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, * non in labiis doloſis.

De vultu tuo iudicium meum prodeat: * oculi tui videant æquitates.

Pro-

Probaſti cor meum, & viſitaſti noɫte: * igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.

Vt non loquatur os meũ opera hominum: * propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.

Perfice greſs * meos in ſemitis tuis: * vt non moueantur veſtigia mea.

Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus: * inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

Mirifica miſericordias tuas, * qui ſaluos facis ſperantes in te.

A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, * vt pupillam oculi.

Sub vmbra alarum tuarum protege me: * à facie impiorum qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, adipẽ ſuum cõcluſerunt: * os eorum locutum eſt ſuperbiam.

Proiiciẽtes me nunc circũdederunt me: * oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.

Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam: * & ſicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge Domine, præueni eum, & ſupplanta eum: * eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum: * de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.

Saturati ſunt filiis: * & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.

Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo: * ſatiabor cùm apparuerit gloria tua.

Aña. Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.

Aña. Interrogatus * te Dominum confeſſus ſum, aſſatus gratias ago,

Pſal. Dñe, in virtute tua. vt in Communi vnius Mart. xxij. Aña. Beatus Laurentius * clamauit, & dixit: Deum meum colo, & illi ſoli ſeruio.

Pſal. Dñi eſt terra. xxij. Aña. Diſperſit, * dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Pſal. Exaudi Deus orationem meã cũ deprecor. xxiij. Aña. Protector * tuus ego ſum, noli timere: ſi tranſieris per ignem, flam̃a non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te.

Pſalm. Bonum eſt confiteri. xxiij.

℣. Poſuiſti Dñe ſuper caput eius.

℟. Coronam de lapide pretioſo.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

*In natali S. Laurentij, poſt init.* Lect. v.

CVm furor Gẽtilium poteſtatum in electiſſima quæque Chriſti membra ſæuiret, ac præcipuè eos qui ordinis erant ſacerdotalis, impeteret; in Leuitam Laurentium, qui non ſolùm miniſterio Sacramentorum, ſed etiam diſpenſatione Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ præeminebat, impius perſecutor efferbuit, duplicem ſibi prædam de vnius viri cõprehẽſione promittens: quem ſi feciſſet ſacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. ℟. Quò progrederis ſine filio pater? quo ſacerdos ſancte ſine diacono properas? * Tu numquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras. ℣. Quid ergo in me diſplicuit paternitati tuæ? numquid degenerẽ me probaſti? experire vtrum idoneum miniſtrũ elegeris, cui com̃iſiſti Dominici ſanguinis diſpẽſationem. Tu numquã. Lectio vj.

ARmatur itaq; gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus; auaritia, vt rapiat aurum;

aurum; impietatē, vt auferat Chriſtum. Poſtulat ſibi ab immaculato ſacrarij præſule opes Eccleſiaſticas, quibus auidiſſimus inhiabat, inferri. Cui Leuita caſtiſſimus, vbi eas repoſitas haberet, oſtendens, numeroſiſſimos ſanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu, atque veſtitu inamiſſibiles condiderat facultates: quæ tantò integriùs erant ſaluæ, quantò ſanctiùs probabantur expenſæ. ℟. Noli me derelinquere pater ſancte, quia theſauros tuos iam expendi. * Non ego te deſero, fili, neque derelinquo: ſed maiora tibi debentur pro fide Chriſti certamina. ℣. Nos quaſi ſenes leuioris pugnæ curſum recipimus, te autem quaſi iuuenem manet glorioſior de tyranno triumphus: poſt triduum me ſequéris Sacerdotem Leuita. Non ego te. Lectio vij.

FRemit ergo prædo fruſtratus, & in odium religionis, quæ talem diuitiarum vſum inſtituiſſet, ardeſcens, direptionem theſauri potioris aggreditur, apud quem nullam denariorum ſubſtantiam reperiſſet: vt illud depoſitum, quo ſacratiùs erat diues, auferret. Renunciare Chriſto Laurentium iubet, & ſolidiſſimam illam Leuitici animi fortitudinem diris parat vrgere ſuppliciis: quorum vbi prima nil obtinent, vehementiora ſuccedunt. Laceros artus, & multa verberũ ſectione cõſciſſos, ſubiecto præcipit igne torreri: vt per cratem ferreã, quæ iam de feruore continuo vim in ſe haberet vrendi, conuerſorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior. ℟. Beatus Laurentius clamauit, & dixit: Deum meũ colo, illi ſoli ſeruio, * Et ideò non timeo tormenta tua. ℣. Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcũt. Et ideò. Lect. viij.

NIhil obtines, nihil proficis ſæua crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cælos abeunte, tu deficis flammis tuis. Superari charitas Chriſti flamma non potuit: & ſegnior fuit ignis qui foris vſſit, quàm qui intus accẽdit. Sæuiſti perſecutor in Martyrem: ſæuiſti, & auxiſti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem tranſierunt triumphi etiam inſtrumẽta ſupplicij? Gaudeamus igitur dilectiſſimi gaudio ſpiritali, & de feliciſſimo inclyti viri fine gloriemur in Dño, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, in quibus nobis & præſidium conſtituit, & exemplum: atque ita per vniuerſum mundum clarificauit gloriam ſuam, vt à ſolis ortu vſque ad occaſum, Leuiticorum luminum coruſcante fulgore, quàm clarificata eſt Ieroſolyma Stephano, tam illuſtris fieret Roma Laurentio. ℟. Meruit eſſe hoſtia Leuita Laurentius: qui dum aſſaretur, non negauit Dominum: * Et ideò inuentus eſt ſacrificium laudis. ℣. In craticula poſitus Deum non negauit: & ad ignem applicatus Chriſtum confeſſus eſt. Et ideò. Gloria. Et ideò.

In iij. Noct. ad Cantica, Aña. Niſi granum * frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipſum ſolũ manet. canticum. Beatus vir. xxvj.

℣. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo. ℟. Gloriam & magnũ decorem impones ſuper eum.

Lectio

Lectio S. Euangelij ſecundũ Ioannem. Lectio ix. *Cap. 12. d. 24.*

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipſum ſolum manet. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi. *Tract. 51. in Ioann. ſub med.*

IPſe Dominus Ieſus erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum infidelitate Iudæorum, multiplicandum fide populorum. Iam verò exhortans nos ad paſſionis ſuæ ſectanda veſtigia, Qui amat, inquit, animam ſuam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi poteſt. Qui amat, perdet: id eſt, ſi amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Chriſto, noli mortem timere pro Chriſto. ℟. In craticula te Deum non negaui, * Et ad ignem applicatus, te Dominum Ieſum Chriſtum confeſſus ſum. ℣. Probaſti Domine cor meum, & viſitaſti nocte. Et ad ignem. Lectio x.

ITem alio modo: Qui amat animam ſuam, perdet eam: noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Hoc autem, quod poſteriùs dixi, magis habere videtur Euangelicus ſenſus. Sequitur enim: Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Ergo, quod ſuprà dictum eſt, qui amat (ſubintelligitur, in hoc mundo) ipſe vtique perdet: qui autem odit (vtique in hoc mundo) in vitam æternam ipſe cuſtodit eam. ℟. O Hippolyte, ſi credideris in Dominum Ieſum Chriſtum, * Et theſauros tibi oſtẽdo, & vitam æternam promitto. ℣. Beatus Laurentius Hippolyto dixit: Si credis in Dominum Ieſum Chriſtum. Et theſauros. Lectio xj.

MAgna & mira ſententia, quemadmodum ſit hominis in animam ſuam amor vt pereat, odium ne pereat. Si malè amaueris, tunc odiſti: ſi bene oderis, tunc amaſti. Felices, qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando. Sed vide ne tibi ſubrepat, vt teipſum velis interimere, ſic intelligendo, quòd debes odiſſe in hoc mundo animã tuam. ℟. Beatus Laurentius dixit: Diſce miſer, quanta eſt virtus Dñi: * Nam carbones iſti, non dolorem, ſed refrigerium mihi præſtant. ℣. Ecce miſer, aſſaſti me vna parte, regyra aliam, & manduca. Nam carbones. Lectio xij.

HInc enim quidam maligni atq; peruerſi homines, & in ſeipſis crudeliores & ſceleratiores homicidæ, flammis ſe donant, aquis ſe præfocant, præcipitio ſe collidunt, & pereunt. Hoc Chriſtus non docuit: immò etiam diabolo præcipitium ſuggerenti reſpondit, Redi retrò ſatanas: ſcriptum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus erat Deum: Cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas quò volebas: cùm autem ſenueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Vbi ſatis expreſſit, non à ſeipſo, ſed ab alio debere occidi, qui veſtigia ſequitur Chriſti. ℟. Gaudeo planè, quia hoſtia Chriſti effici merui: accuſatus, non negaui; interrogatus, Chriſtum confeſſus ſum; * Aſſatus, gratias ago. ℣. Ego me obtuli ſacrificium Deo in odorem ſuauitatis. Aſſatus. Gloria Patri. Aſſatus.

Sequentia S. Euangelij ſecundùm Ioannem. Cap. 12. d. 24.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolùm manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eũ Pater me⁹. Oratio.

DA nobis, quęſum⁹ omnipotens Deus, vitiorũ noſtrorum flammas extinguere: qui beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. Per Dominum.

Ad Laudes, & per Horas, Aña.

LAurentius * ingreſſus eſt martyr, & cõfeſſus eſt nomen Dñi Ieſu Chriſti. Pſalm. Dñs regnauit. cum reliq. 26. Aña. Laurentius * bonum opus operatus eſt, qui per ſignum crucis cæcos illuminauit. Aña. Adhæſit * anima mea poſt te, quia caro mea igne cremata eſt pro te Deus meus. Aña. Miſit Dominus * Angelum ſuum, & liberauit me de medio ignis, & non ſum æſtuatus. Aña. Beatus Laurentius * orabat, dicens: Gratias tibi ago Dñe, quia ianuas tuas ingredi merui.

Capitulum. 2. Cor. 9. b. 6.

FRatres, Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. ℟. breue. Gloria & honore. Hymnus. Martyr Dei. de Communi vnius Mart. xxviij.

℣. Diſperſit, dedit pauperibus.

℟. Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Ad Benedictus, Antiphona.

In craticula * te Deum non negaui, & ad ignem applicatus te Chriſtum confeſſus ſum: probaſti cor meũ, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Oratio. Da nobis, quæſumus.

Ad Tertiam, Aña. Laurentius. Capit. Fratres, Qui parcè ſeminat. vt ſup. ℣. Gloria & honore. xxix. Ad Sextam, Aña. Adhæſit anima.

Capitulum. 2. Cor. 9. b. 7.

VNuſquiſq; prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarẽ enim datorem diligit Deus. ℣. Poſuiſti Dñe. xxix. Ad Nonã, Aña. Beatus Laurentius.

Capitulum. 2. Cor. 9. c. 8.

POtens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. ℣. Magna eſt gloria. xxix.

Ad j. Veſp. Aña. Laurentius ingreſſus. cũ reliq. de Laudib. Pſal. Dixit Dominus. cum reliq. de Dñica. 102. Capitulum. Fratres, Qui parcè. ℟. br. Poſuiſti Domine. Hym. Deus tuorum. ℣. Gloria & honore. de Comm. vnius Mart. xxix.

Ad Magnific. Aña. Leuita Laurentius * bonum opus operatus eſt, qui per ſignum crucis cæcos illuminauit, & theſauros Eccleſiæ dedit pauperibus. Orat. Da nobis, quæſumus omnipotens. ſuprà.

In ij. Veſp. Aña. Laurentius ingreſſus. cum reliquis de Laudibus Pſalm.

Pſalm. Dixit Dominus. 102. Beatus vir. 103. Laudate pueri. 103. Credidi propter. 105.

Capitul Fratres, qui parcè. ſup. R. bre. & Hymnus, vt in Communi vnius Martyris. xxix.

℣. Leuita Laurentius bonũ op⁹ operatus eſt. R. Qui per ſignum crucis cæcos illuminauit.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beatus Laurentius* dum in craticula ſuperpoſitus vreretur, ad impiiſſimum tyrannum dixit: Aſſatum eſt iam, verſa, & manduca: nam facultates Eccleſiæ, quas requiris, in cæleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt. Oratio. Da nobis, quæſumus. ſuprà.

Deinde fit commem. SS. Tiburtij & Suſannæ mart. Oratio.

Sanctorum martyrum tuorum Tiburtij & Suſannæ, nos Domine foueant continuata præſidia: quia non deſinis propitius intueri, quos talibus auxiliis concesſeris adiuuari. Per Dominum.

*Die xi. Auguſti.*

## SECVNDA DIE INFRA Octauam ſancti Laurentij.

Inuitatorium, & Hymn. vt in die. In primo Nocturno, Aña. Quò progrederis * ſine filio pater? quò ſacerdos ſancte ſine miniſtro properas? Pſalmi feriales.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi. *Serm. 30. de Sanctis.* Lectio j.

Beatiſſimi Laurentij martyris, cuius natalem hodie celebramus, paſſionem noſſe vos credo: & quanta in perſecutione pertulerit, dilectionem veſtram ſcire poſſe non dubito. Tanta enim eius martyrij gloria extitit, vt paſſione ſua mundum illuminauerit vniuerſum. Illuminauit mundum planè Laurentius eo lumine, quo ipſe accenſus eſt; & flammis, quas ipſe pertulit, omnium Chriſtianorum corda caleſecit.

Lectio ij.

Qvis nolit ad horam vri Laurentij igne, vt æternum gehennæ non patiatur incendiũ? Beati igitur Laurentij exemplo prouocamur ad martyrium, & accendimur ad fidem, incaleſcimus ad deuotionem: & ſi in nobis perſecutoris flamma deeſt, fidei tamen flamma non deeſt. Non ardemus quidem corpore pro Chriſto, ſed ardemus affectu. Non ſubiicit mihi perſecutor ignem: ſed ſubiicit mihi deſiderium Saluatoris. Lectio iij.

Eſſe autem Saluatoris ignem, legimus in Euangelio, dicente eodem Domino: Neſcitis quia veni ignem mittere in terram; & quid volo, niſi vt accendatur? Quo igne ſuccenſi illi duo diſcipuli dixerunt: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Hoc igitur igne beatus Laurentius accenſus, flammarum non ſentit incendium: & dum Chriſti ardet deſiderio, perſecutoris pœnam non ſentit.

Pro SS. mart. Tiburtio & Suſanna, ſi venerint in Dnica. Lectio xij.

Tiburtius Chromatij Præfecti Vrbis filius, ſancti Sebaſtiani opera Chriſtianus, cùm ob eam cauſam ad Fabianum iudicem adductus eſſet, multaque apud illum de Chriſti fide prædicaret; excandeſcens iudex pauimentum candentibus carbonibus ſterni iubet: mox, Tiburti, inquit,

inquit, vel diis noſtris ſacrifices oportet, vel per iſtos carbones nudis pedibus tibi incedendum eſt. At ille crucis ſigno ſe muniens, fidenterque ambulans in pruna, Diſce, inquit, ex hoc ſolum eſſe Deum, quem Chriſtiani colunt: prunæ enim mihi flores videntur. Quod cum magicis artibꝰ tribueretur, extra Vrbem ductꝰ Tiburtius, ac via Lauicana tertio ab Vrbe lapide gladio percuſſus, ibi à Chriſtianis ſepelitur. Quo die Suſanna virgo nobiliſſima, quod Galerij Maximiani, filij Diocletiani Imperatoris, coniugium recuſaret, vt quæ virginitatem Deo vouerat; poſt multa tormentorum genera, quibus variè tentatum eſt ſanctum virginis propoſitum, domi ſuæ iuſſu Imperatoris gladio percuſſa, ad duplex virginitatis & martyrij præmium migrauit in cælum. ℟. de Communi plurim. Martyr.

In ij. Nocturno, Aña. Noli * me derelinquere pater ſancte, quia theſauros tuos iam expendi, quos tradidiſti mihi. Pſalmi feriales.

Capitulum. 2. *Cor.* 9. *c.* 10.

Qvi autem adminiſtrat ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabit: & multiplicabit ſemen veſtrum: & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.

℣. Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo. ℟. Et laudabuntur omnes recti corde.

Oratio diei, vt ſuprà ante Laudes.

Ad Laudes, & reliquas Horas, omnia vt in die.

Sic dicitur Officium per totam Octauam, præter ea quæ ſpecialiter ponuntur.

In Laudibus fit comem. SS. Tiburtij & Suſannæ martyr. Oratio. Sanctorum martyrum. vt ſuprà. Et in Veſperis fit comem. S. Claræ virg. Oratio. Exaudi nos Deus. de Communi Virginum. xc.

*Die xii. Auguſti.*

## TERTIA DIE INFRA Octauam ſancti Laurentij.

In j. Noct. Aña. Non ego * te deſero fili, neque derelinquo: ſed maiora tibi debentur pro Chriſti fide certamina. Pſalmi feriales.

De Sermone S. Auguſtini Epiſcopi.
*Ex Ser. 30. de Sanctis.* Lectio j.

Legimus Ananiam, Azariam, & Miſaëlem, beatiſſimos pueros, à rege in camino ignis incluſos, in pœnarum ſuarum deambulaſſe flammis, & igneos globos pedibus conculcaſſe. Vnde & beatus Laurentius non minori eſt gloria præferendus. Siquidem illi in pœnarum ſuarum flam̃is ambulabant, hic & in ipſo ſupplicij ſui igne diſcubuit. Illi veſtigiis pedum conculcarunt incẽdia, iſte laterum ſuorum diffuſione extinguit. Lectio ij.

Iterum ergo beatus Laurentius in dorſum ſupinus vertitur, & renes eius ignibus exuruntur, vt impleretur Pſalmi prophetia, quæ dicit ex perſona Laurentij: Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos & cor meum. Vre, inquit, renes meos & cor meum. Duplici ſe poſtulat igne comburi. Nam ſi de ſolo mundi igne loqueretur, ſufficeret renes tantùm exurendos incendiis obtuliſſe. Cor autem niſi flamma Chriſti non vrit.

Lectio iij.

Oremus igitur, fratres, beatum Laurentium: qui dum fide ſua perſecutoris flammas vicit, oſtendit nobis

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK gefördert durch Baden-Württemberg MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

nobis per ignem fidei gehennæ incendia ſuperare, & amore Chriſti diem iudicij non timere. Nos verò, fratres dilectiſſimi, ſi ad conſortium ſanctorum Martyrum peruenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcere, vt pro nobis dignentur Dominò ſupplicare.

Pro S. Clara virgine, quando venerit in Dominica. Lectio xij.

CLara, nobilis virgo, Aſſiſij nata in Vmbria, ſanctum Franciſcum ciuem ſuum imitata, facultatibus ſuis in pauperes erogatis, quemadmodum ille Fratrum, ſic ipſa ſacrarum Sororum collegium inſtituit: cum quibus in Eccleſia ſancti Damiani vixit admirabili ſanctitate: Quæ, Saracenis Aſſiſium obſidentibus, & monaſterium, cui illa præerat, inuadere conantibus, ægra ſe ad portam afferri voluit, vnáque vas, in quo ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum erat incluſum: ibique orauit in hunc modum: Ne tradas, Domine, beſtiis animas confitentes tibi, & cuſtodi famulas tuas, quas pretioſo ſanguine redemiſti. In cuius oratione ea vox audita eſt: Ego vos ſemper cuſtodiam. Saraceni autem partim ſe fugæ mandarunt: partim qui murum aſcenderant, capti oculis præcipites ceciderunt. Ipſa virgo paulò pòſt ieiuniis, orationibus, vigiliiſque confecta, cùm duos & quadraginta annos ſumma cum laude monaſterium gubernaſſet, multaq; edidiſſet miracula; pridie Idus Auguſti ſacra Euchariſtia ſumpta, animam Deo reddidit, Innocentio quarto ſummo Pontifice, qui ægrotantẽ virginem inuiſit, eique ſuppliciter petenti Indulgentiam peccatorum impertiuit. Quam poſteà Alexander quartus inter ſanctas Virgines retulit. ℟. conueniens.

In i. Nocturno, Aña. Beatus Laurentius * orabat, dicens: Domine Ieſu Chriſte, Deus de Deo, miſerere mihi ſeruo tuo. Pſalmi feriales.

In Laudib. fit commem. S. Claræ virginis. Oratio. Exaudi nos: de Communi Virginum. xc.

In Veſperis commem. SS. Hippolyti & Caſsiani mart. Oratio.

DA quæſumus omnipotens Deus: vt beatorum martyrum tuorum Hippolyti & Caſſiani veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum.

*Die xiii. Auguſti.*

## QVARTA DIE INFRA Octauam ſancti Laurentij.

In j. Noct. Aña: Dixit Romanus * ad beatum Laurentium: Video ante te iuuenem pulcherrimum: feſtina me baptizare. Pſalmi feriales.

Ex libro Officiorum ſancti Ambroſij Epiſcopi.

*Lib. 1. c. 41. in med.* Lectio j.

NOn prætereamus ſanctum Laurentium, qui cùm videret Xyſtum Epiſcopum ſuum ad martyrium duci, flere cœpit non paſſionem illius, ſed ſuam remanſionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quò progrederis ſine filio pater? Quò Sacerdos ſancte ſine diacono properas? Numquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueueras. Quid in me ergo diſplicuit pater? Num degenerem probaſti? Experire certè vtrùm idoneum miniſtrum elegeris. Cui commiſiſti Dominici

ſanguinis

ſanguinis diſpenſationem, cui conſummandorum conſortium Sacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas?

Lectio ij. *Lib. 2. c. 28. poſt med.*

A Quo cùm quærerentur theſauri Eccleſiæ, promiſit ſe demõſtraturum. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus vbi eſſent theſauri quos promiſerat, oſtendit pauperes, dicens: Hi ſunt theſauri Eccleſiæ. Et verè theſauri, in quibus Chriſtus eſt, in quibus Chriſti fides eſt. Denique Apoſtolus ait: Habemus theſaurum in vaſis fictilibus. Quos meliores theſauros habet Chriſtus, quàm eos in quibus ſe eſſe dixit? Sic enim ſcriptum eſt: Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me. Et infrà: Quod enim vni horũ feciſtis, mihi feciſtis. Hos theſauros demonſtrauit Laurentius, & vicit, quòd eos nec perſecutor potuit auferre.

Lectio iij.

NVmquid dictũ eſt ſancto Laurentio: Non debuiſti erogare theſauros Eccleſię, vaſa Sacramentorum vendere? Opus eſt, vt quis fide ſincera & perſpicaci prouidentia munus hoc impleat. Sanè ſi in ſua quis deriuat emolumenta, crimen eſt: ſin verò pauperibus erogat, captiuum redimit, miſericordia eſt. Nemo enim poteſt dicere, cur pauper viuit? Nemo poteſt queri, quia captiui redempti ſunt. Nemo poteſt accuſare, quia templum Dei ædificatum eſt. Nemo poteſt indignari, quia humandis fidelium reliquiis ſpatia laxata ſunt: nemo poteſt dolere, quia in ſepulturis Chriſtianorum requies defunctorũ eſt. In his tribus generibus vaſa Eccleſiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet.

Pro SS. Hippolyto & Caſsiano mart. ſi venerint in Dñica. Lect. xij.

HIppolytus à ſancto Laurentio baptizatus, domi ſuæ, dum Euchariſtiam ſumeret, comprehenſus, & ad Valerianum Imperatorem adductus, ab eo de ſuæ religionis profeſſione interrogatus, liberè ſe Chriſtianum profeſſus eſt. Quam ob rem fuſtibus cæditur: quibus in verberib⁹ cùm eius fides conſtantior inueniretur, muneribus & honorum promiſſis tentatur. Quæ cùm omnia fruſtrà dicerentur, Præfecto occidendus traditur. Qui domum Hippolyti veniens, vt eius facultates publicaret, totam familiam Chriſtianã eſſe cognoſcit: atque iis à Chriſtiana fide fruſtrà deterritis, primùm plumbatis cæſa Concordia Hippolyti nutrice, quæ ceteros confirmabat, reliquos extra portam Tiburtinam occidi iubet. Hippolytus indomitis equis raptatus per loca tribulis & carduis conſita, lacerato corpore ſpiritum Deo reddidit, vnáque cum reliquis à Iuſtino Presbytero ad agrum Veranum ſepultus eſt. Eâdem die, ad Forum Syllæ, crudeliſſimo ſupplicio affectus eſt Caſſianus martyr: qui vinctis poſt terga manibus, puerorum, quos erudiebat, ferreis ſtylis configendus, excarnificanduſque traditur. Quorum quantò erat infirmior vis, tantò eius pœna martyrij grauior ac diuturnior, palmaque illuſtrior. ℟. conueniens.

In ſecundo Nocturno, Aña. Beatus Laurentius * dixit: Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt. Pſalmi feriales.

In Lau-

In Laudibus fit commemoratio SS. Hippolyti & Caſsiani mart. Oratio. D a quæſumus. vt ſuprà.

Et in Veſperis commemoratio S. Euſebij Confeſſoris. Oratio.

DEus, qui nos beati Euſebij cõfeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas: concede propitius; vt cuius natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

*Die xiiii. Auguſti.*

## QVINTA DIE INFRA Octauam ſancti Laurentij.

In primo Nocturno.

Aña. Strinxerunt * corporis membra poſita ſuper craticulam: ſubiicientibus prunas inſultat Leuita Chriſti. Pſalmi feriales.

Sermo ſancti Maximi Epiſcopi.

*Homil. 1. de S. Laur.* Lectio j.

SAnctum eſt, fratres, ac Deo placitum, vt natalem beati Laurentij præcipua deuotione veneremur: cuius radiantibus flammis victrix in hunc quoque diem toto orbe Chriſti coruſcat Eccleſia. Qui cùm in ſede glorioſiſſimi Patriarchę diaconatus fungeretur officio, puritate innocentis vitæ, fortiſſimæque mortis triumpho, Apoſtolico ſe conſortio copulauit. Nec immeritò eum Apoſtolorum ſupparem prædicamus, cui & caſtitas animi Leuiticum miniſterium dedit, & plenitudo fidei martyrij contulit dignitatem.

Lectio ij.

QVem venerabilis Xyſtus Romanæ vrbis Antiſtes, cùm impietatem ſæuientis mundi per tormenta ſuperaret, & regnis eſſet cæleſtibus iam vicinus, videretque eum paterna de morte triſtiſſimum, ita illum ſpiritu præſcientiæ compellaſſe narratur: Noli fili mœſtus eſſe: poſt triduum me ſequéris. Vnde apparet, chariſſimi, beatum Laurentium non de ſacerdotis ſui victoria habuiſſe triſtitiam, ſed doluiſſe, quia non etiam ipſe mundum cum ſuo pariter ſacerdote vincebat. Noli, inquit, fili mœſtus eſſe: poſt triduum me ſequéris. Hoc eſt, Noli triſtis eſſe, velut apud ſæculum derelictus: nam nec te fides vitaque tua tali morte priuabit.

Lectio S. Euangelij ſecundùm Lucam. Lectio iij. Cap. 11. d. 27.

IN illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit. Et reliq.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

*Tract. 10 in Ioan. poſt initium.*

BEata virgo Maria, quia fecit voluntatem Patris. Hoc in ea magnificauit Dominus, quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem. Intendat charitas veſtra. Propterea cùm Dominus in turba admirabilis videretur, faciens ſigna & prodigia, & oſtendens quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt: Felix venter, qui te portauit. Et ille: Immò felices, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Hoc eſt dicere: Et mater mea, quam appellatis felicem, inde felix, quia verbum Dei cuſtodit: non quia in illa Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: ſed quia cuſtodit ipſum Verbũ Dei, per quod facta eſt, & quod in illa caro factum eſt. ℞. vt in Dominica j. Auguſti.

In ſecundo Nocturno, Aña. Igne * me examinaſti, & non eſt inuenta in me

in me iniquitas. Pſalmi feriales.

In fine Laudum fit commemorat. Vigiliæ. Aña, & ℣. de Feria occurrente, vt in Pſalterio. Oratio.

Deus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæſumus; vt ſua nos defenſione munitos, iucundos facias ſuæ intereſſe feſtiuitati.

Deinde fit commem. S. Euſebij Confeſſ. Oratio. Deus, qui nos beati. vt ſuprà.

*Die xv. Auguſti.*

# IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS DVPL.

## AD MATVTINVM.

Inuitatorium.

Venite adoremus Regem regũ: Cuius hodie ad æthereũ Virgo mater aſſumpta eſt cælum. Pſal. Venite, exultemus. 14. Hymnus. Quem terra. vt in Officio Natiuit.

In primo Noctur. Aña. Exaltata eſt* ſancta Dei genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna. Pſalm. Domine Dominus noſter. cum reliq. vt in eius Natiuitate viij. Septemb. Aña. Paradiſi portæ * per te nobis apertæ ſunt, quæ hodie glorioſa cum Angelis triumphas. Pſal. Cæli enarrant. Aña. Benedicta tu* in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Pſalm. Domini eſt terra. Aña. Specie tua,* & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna. Pſalm. Eructauit cor. Aña. Adiuuabit eam * Deus vultu ſuo: Deus in medio eius, non commouebitur. Pſalm. Deus noſter refugium. Antiphona. Fauus diſtillans * labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris. Pſal. Magnus Dñs. ℣. Exaltata eſt ſancta Dei genitrix. ℟. Super choros Angelorũ ad cæleſtia regna,

Incipiunt Cantica canticorum.

Lectio j. *Cap.* 1. *a.* 1.

Oſculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis. Oleum effuſum nomen tuũ: ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te. ℟. Vidi ſpecioſam ſicut columbam aſcendentem deſuper riuos aquarum: cuius inæſtimabilis odor erat nimis in veſtimentis eius:* Et ſicut dies verni circumdabant eã flores roſarum, & lilia conuallium. ℣. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris? Et ſicut.

Lectio ij.

Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol: filij matris meæ pugnauerunt cõtra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam nõ cuſtodiui. Indica mihi, quem diligit ani-